



1. De odio Variationis. R. P. Müller. R. J. B. Redel.
2. De Spurio. H. S. Raffmäggen.
3. De Principe legibus soluto. R. G. A. Struv. R. J. J. Aertel.
4. De Patrioies. R. A. C. Romyn. R. P. J. Gallen ab Gallenfins.
5. De murmuratiope praescriptionem impediente.
6. R. J. F. Schneider. R. L. C. Lüdecke.
7. De militia lecta provinciali. R. J. S. Stryck. R. J. C. Ab Otken.
8. De investigandis contractibz et actionibz ex contractibz, z. verbis, vel litteris initis. R. S. Stryck. R. C. Hoelvtheij.
9. De Crimine gratiae. R. J. F. Schneider. R. J. G. Lüdecke.
10. De Testimonia Principis. R. Idem. R. A. F. Bode.
11. De Unitate Patris et filii. R. Samuel van Laher.
12. De usu practico doctrinae difficultissimae Iuris Rom. de culparum praestatione. R. C. Thomasij. R. C. Oetzel.
13. Paradoxon proiure retractandi transactiōnē, novis instrumentis zeptatis ad l. 35. f. de re iug. et t. iug. art. 9. C. de Transact. R. J. P. Ludwig. R. D. B. Hoelder.
14. De vinculo matrimonii ob legem affinitatis turpi vel honesto. R. A. Goessche. R. J. C. Schönberg.
15. De Coelibatu poenae nomine imposito. R. J. F. Ludovici. R. S. P. Gaeser.
16. De Propinquorum in sponsalibz confensa necessarie. R. H. C. Perdejz. R. J. C. Guell.
17. De Statu Imperii Rom. R. J. V. Beckmann. R. J. G. Klein.
18. De Restitutione in integrum ob metum. R. G. L. Mencke. R. J. F. Hoockner.
19. De litis contestatione eventuali. R. S. Stryck. R. H. Heinrich.
20. De eo quod justum est circa pactum executivum ductu M. C. Se pign. et hypoth. R. G. Barth. R. J. S. a Duseldorf.

21. De Carcere et caerariis usus et abusus in causis crimi-  
naliis ad Fit Sand. et Cod. de Custo. et exhibet. Reor.  
P. W. J. Martini R. C. Keilpfleg.
22. De juris impreberum singularibus P. H. Linck.
23. Acquisitionem derivativam dominii facto hominis.  
P. G. Schilterg. R. P. Graff.
24. De Legitimatione. P. F. Beissler. P. Iackins. vondale. (manuscr. 17. fol. 18.)
25. De Contractu a estimatio R. B. L. Schwendendorffer. R. F. Schwall.
26. De Com mendatione. R. B. Carpov. R. C. E. Lange.
27. De jure misericordium. P. G. A. Atuv. P. J. S. Albing.
28. An in culta religione scripta Anonyma aut Pseudonyma  
sint probanda aut toleranda P. S. Evenig. P. C. Pyrlaeq.
29. De Antichresi. P. C. Möschel. R. C. L. Betrich.
30. De Suzisdictione feudal i Dominica. P. B. L. Schwendendorffer.  
R. Jo. Wickmanshausen.
31. De Conciliis. P. G. T. Meier. R. J. P. Schachtrap.
32. De Matrimonio. P. J. Schilter. R. J. S. Neukirch.
33. De benedictione sacerdotali. P. F. Wörger.
34. De Justitia hominis circa animam. P. J. S. Simon. P. D. Mepper.
35. De hominis mortui se cultura prohibita P. H. B. Zof.
36. De jure necessitate P. J. Eisenhardt. R. G. Lengerke.
37. De Testamentis. P. Engelbrecht. R. A. Nardini.
38. De extraordinario Remedio Restitutionis in integrum.  
P. C. F. Schröter. R. J. Klinger.
39. De Privilegiis. P. B. L. Schwendendorffer. R. C. C. Seligmann.
40. Ius Deliberandi. P. J. C. Falckner. R. A. Lanovig.
41. De Priviliegii Mulierum. P. J. V. Rechmann. R. J. D. Keyerabend.
42. De Ad vocatorum inhabilitate. P. B. Friesen. R. M. Götz.
43. De litis contorsatione. P. J. Peier. R. J. S. Zimmermann.
44. De Retentione. P. B. L. Schwendendorffer. R. G. C. Reinhausen.

45. De Privilegio P.B.L. Schwerendendofer. R. J. d. Lüttbromm.  
46. De Juris Justinianaci receptione. P. H. Lincke R. J. reg. luna.  
47. De Donatiorie remuneratoria, atque obligatione Antidorali.  
P. G. U. Lünglin.  
48. De Donationibz. R. J. G. Simon R. G. Borrmann.  
49. De in ius locatio[n]e. seu oratione. P. B. L. Schwerendendofer.  
R. G. O. Ulrich.  
50. De literis natalit[us]. P. H. Lincke R. L. C. Tham.  
51. De Contractibz Principum. P. G. H. Frave. R. J. Forster.  
52. Iura poculorum. P. G. G. Simon. R. J. D. Marl.  
53. De iure viarum publicar[um]. P. E. Ziegler. R. C. A. Siegleder.  
54. De Lib. I. f. 1. t. 1. 2. una cum Historia f. f. P. J. Klein. R. H. Sprengel.  
55. De Dominatu Pontificis Rom. P. M. N. Braun. R. J. C. Tebel.  
56. De Vectigalibz. P. H. Conring. R. P. T. Thomasae.

Sam elbd.  
Sal

B. C. D.

THESES INAUGURALES,

De

USU PRACTICO  
DOCTRINÆ DIFFICILLI-  
MÆ JURIS ROMANI DE CUL-  
PARUM PRÆSTATIONE  
IN CONTRACTIBUS,

Quas

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIÆ ELECTORATUS ET PRO-  
VINCIARUM HEREDE &c. &c.  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE  
**DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,**  
ET FACULTATIS JURIDICÆ b.t. DECANO,

*P R O L I C E N T I A*

Summos in utroque jure honores & Privilegia  
DOCTORALIA rite capessendi

Publicè & solenniter submittit,

**CHRISTIANUS Gottlob Fress / Advocat.**

immatric., Misenensis,

ad d. 6. Junii Anno M DCC V.

H. L. Q. C.

---

HALÆ, LITERIS SALFELDIANIS.

---



V I R O  
NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO,  
**DN. BENEDICTO**  
**KRESSIO,**  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
REGIS POLONIÆ ET ELECTORIS  
SAXONIÆ PROCURATURÆ, QUAM VOCANT,  
BONA MENSALIA EPISCOPATUS MISENEN-  
SIS COMPLECTENTI, PRÆFECTO  
OPTIME MERITO,

*Dissertationem hanc inauguralem*

Ex debito filialis amoris officio & gratissimo  
mentis affectu

Sacram esse jubet

Filius obsequentissimus  
Christienus Gottlob Kress.

28(3)86



B. C. D.

# DE USU PRACTICO DOCTRINÆ DIFFICILLIMÆ JURIS ROMANI DE CULPARUM PRÆSTATIONE IN CON- TRACTIBUS.

CAP. I.

De difficultate doctrinæ de culpa-  
rum præstatione in contractibus.

## SUMMARIA.

*Difficultas doctrinae de præstatione culparum in contractibus.* 1. Summa sententia communis de hâc doctrinâ. 2. Difficultates, qua istam sententiam premunt. 3. Insufficiencia mediorum, quibus istas difficultates communiter tollere volunt. 4. Nicolai Burgundi peculiariis opinio de dolo & culpa, 5. de definitione culpe late, levis & levissima, 6. de differentia inter culpam & negligentiam, de tripli diligentia, 7. de ambiguitate culpa in legibus, 8. contra communem differentiam culpa levis & levissima. 9. Struvii Burgundi doctrinam de culpa levi & levissima arripiens sententia, 10. Et re-  
gula tres de præstatione culparum. 11. Sententia Coccejana princi-  
pia. Regulariter jure naturæ homines teneri ad præstationes culpa

A 2

etiam

## 4 DE USU PRACTICO DOCTRINÆ

etiam levissime. 12. Sed jus civile temperare rigorem juris naturalis I. regulariter exigendo saltēm levem culpam, nisi quis diligentiam exactissimam in se receperit, aut nisi ipsius solius causā contrabatur &c. 13. II. Has culpe species non habendo pro vero delicto, nisi in L. Aquilia & in aliis casibus singularibus &c. 14. III. Prætorem temperare rigorem illum, in negotiis à se solo introductis exigendo dolum solum, non culpam. 15. Culpam aliquando casui opponi, aliquando sub cā contineri. 16. Dolum, culpam, casum ad quæstiones de danno definiendas non sufficere, sed insuper addendam esse negligentiam diligentie oppositam. 17. Causa istarum difficultatum & dissensionum, quod (1) frustrā tentetur conciliatio dissidentium & corrum. 18. (2) Quod frustrā tentetur, rem infinitam velle certis & exactis regulis includere. 19. Aique adeò (3) si quis talia tentet, non posse non dissensus oriri & multiplicari. 20. Dissensus & cōtos Romanos in hac doctrinā, ex Jure Justinianeo probatur. 21. Probatur, Tri-bonianum reliquise fragmenta harum dissensionum in corpore juris, in doctrina de locato, 22. de pignore, 23. de societate, 24. de mandato & negotiorum gestione. 25. Rejicitur artifi-cium dissensus illos conciliandi. 26. Dissensus & cōtorum veterum in questione, an in contractibus etiam locum habeat actio Legis Aquiliae. 27. Unde quidam ex novioribus consilium dant actio-nem Legis Aquiliae instituendi, ubi non sufficiat actio ex contractu. 28. Sed ostenditur, hoc consilium non convenire cum mente ve-tetur. 29. Examinatur modus conciliandi per distinctionem, an ipse quis damnum dederit, an ab aliis rebus vel hominibus damnum datum fuerit. 30. Dissensus & cōtos in questione: an in L. Aquilia semper coēreatur culpa levissima. 31. Doctrinam de culpis non posse includi regulis propter infinitarum circumstan-tiarum varietatem. 32. Unde & sapè responderunt & cōti Romani, ut responsum parum prodeisset querentibus, vel ubi facile alii diversum respondere potuissent. 33. 34. 35. Ipsos etiam ter-minorum significatus in hac doctrina esse vagos & fluctuantes, puta dolis & culpe lace, 36. levis, 37. levissima, 38. casus, 39. Regulas communes de præstatione culparum in contractibus vi-deri



deri esse inventum Africani, easque paucioribus *Juris* placuisse.  
 40. Illam distinctionem, cuius utilitas sit in contractu, parum vi-  
 deri facere ad questiones de damno resarcendo. 41. Unde  
 ostenditur, depositarium negligentem male excusari, si rem alie-  
 nam aquæ custodiverit ut suam, 42. neque satisfacere differen-  
 tiam committere adductam inter depositum & mandatum, 43.  
 quare jam aliis ista juris Romani definitio jure meritoque fute  
 suspecta. 44. Aequè iniquam videri decisionem Juris Romani  
 de socio negligente, si communes res aquæ ut suas custodierit.  
 45. 46. Neque commodatarium indistinctè absolvendum esse  
 à periculo & casu. 47. Multo minus Jure Genitum à precario  
 rem possidente saltem dolum exigiri, non culpam. 48. Neque  
 sufficere rationem Ulpiani, quod precarium totum descendat ex  
 libemitate ejus, qui precario concescit: 49. neque interpretum,  
 quod commodatum ab initio sit liberalizans, postea vero necessi-  
 tatis. 50. Sed subesse hic solam rationem privatam iurius Pra-  
 torii, quia in precario nulla erat actio iuriis civilis. 51. Circa  
 quam tamen assertiōnē ipsam etiam diffensere *Juris* Romani. 52.  
 Rationem, cur de precario nulla detur actio civilis, quod pre-  
 carii conditio magis ad donationis causam pertineat, 53. esse mi-  
 ram, quod precarium & donatio valde different, 54. potis-  
 simum in hoc tertio de actione precario danti concedendā, 55.  
 unde potius alios *Juris* rebus intulisse, ex precario dandam esse  
 actionem civilem. 56.

## §. L

**M**ultæ sunt doctrinæ subtileæ & in-  
 tellectu difficultes in Jure Romano, quod  
 vel ex solo successionis testamentariae  
 & doctrinarum eò pertinentium ca-  
 pite patet. Pro omnium difficillimis  
 vero jure meritoque haberi possunt  
 tria doctrinarum de factorum & contractuum diffe-  
 rentia,

rentia, de jurisdictione, & de præstatione culparum  
in contractibus. a)

§. II. Communiter b) docent esse tres c) culpæ gradus: Latam, levem, & levissimam, id est, omissionem diligentiaz omnium hominum non planè dissolutorum, vel diligentium patrumfamilias, vel patrisfamilias diligentissimi; & pro fundamento ponunt tres Ulpiani regulas; in contractibus, ubi (1) utriusque est utilitas præstari culpam etiam levem, in illis autem, ubi unius est utilitas (2) ab eo, qui solus utilitatem habet, præstari culpam etiam levissimam, (3) qui nullam, culpam solum latam. d)

§. III. Laborat hæc doctrina istis potissimum difficultatibus, quod plerique JCTi ex quibus Pandectæ sunt collectæ, saltem doli & culpæ (quā simpliciter posita aliás dicunt culpam levem intelligi) faciant mentionem, adeoque levissimam illam culpam negligisse videantur; e) quod regulæ illæ non sint accuratae, sed exceptionibus variis & sæpe pluribus quam sunt

a) Huic enim materia ipse acutissimus Donellus lib. 16. comm. 7. docuit inesse nodos inextricabiles, quibus frustra Doctores se torquent, & discentes cruciant.

b) Struv. Exerc. 19. §. 41. verbis: Atque ita communiter tres gradus culpa & tres regula de præstatione culpa tradi & applicari solent,

c) Rejectis distinctionibus Bartoli & aliorum inter culpam latam & latiorem, & Zafii inter culpam ignaviae & versitatem. Struv. ibid. §. 19.

d) Struv. ibid. à §. 13. -- 41. Conf. Schœpf. Synops. ad tit. Commodati n. 19. seq.

e) l. 25. §. 16. famil. ercifcl. l. 107. §. 12. de leg. l. 1. 68. pr. de con-  
trah. empl. l. 9. pr. locatil. u. de neg. gest. f

funt exempla ipsius regulæ, f) gaudeant; quod ipsi JCti mire inter se differint in quæstionibus, quid in singulis contractibus præstari debeat, g) & quod etiam terminis culpæ, custodiae, diligentia, negligentia, periculi&c. h) diversimodè usi fuerint, ut adeò eorum doctrinæ non commodè possint artis regulis includi.

§. IV. Neque sufficiunt cordatioribus, quæ vulgo ad emendandos hos defectus afferri solent: distinguendum esse inter culpam in abstracto & concreto, in abstracto esse tres species culpæ, in concreto duas, cum eò res redeat, utrum quis cujuscunque conditionis etiam sit, rem alienam æquè custodire debeat ac suam; utrum, si forte non sit diligentissimus aut etiam negligens, hæc custodia sufficiat, & utrum non teneatur magis custodire res alienas, quam proprias, & majorem diligentiam in illis quam his adhibere; quod terè nulla regula in jure sit, quæ non exceptiones varias patiatur: quod antinomiae secundum monitum Justiniani tollendæ sint distinctionibus subtiliter excoigitatis, qualis est illa, dum in quæstionibus de præstantia cul-

f) Ita notum, quod regula secunda in precario non habeat locum, l. 8. §. 3. de precario. Ita regula tertia ap. Schœppf. d. l. n. 21. habet duo exempla sub se, commodati & depositi; exceptio vero tria, mandati, negotiorum gestionis, & tutelæ.

g) Quod videri potest ex resolutione legum obstantium apud Systematicos & Commentatores, quoties has quæstiones vel ad institutiones vel ad Pandectas tractant. Adde dilucida signa ejusmodi dissensionum in ipsis legibus Pandectarum l. 52. §. 2. pro socio, l. 5. §. 2. & 3. Commodati l. 32. depositi.

h) l. 13. de pign. act. l. 47. §. 5. de leg. 1. l. 36. de act. empti. l. 37. §. 1. de neg. gest. l. 40. ff. locati.

da culpa levi ac levissima sàpè inculcari solet, quod positivus aliquando sumatur pro superlativo, superlativus aliquando pro positivo; item quod in materia culparum verba diligentiae, culpæ, custodiae intelligenda sint secundum materiam substratam, id est, secundum naturam contractuum, de quibus agitur, & regulas suprà memoratas: denique quod & vox periculi pro materia substrata modo casum denotet, modo culpam & casui opponatur. i)

§. V. Sentiens ita Nicolaus Burgundus JCTus Ingolstadiensis, multa hic innovavit, docens: in omni dolo inesle culpam, quippe culpam esse, quod malo more vel contrà jus fit, aut quicquid ex communi hominum natura reprehensionem meretur; sed cum nocendi vel decipiendi animo damnum datur, dolum dici; cum vero injuria damnum datur ab eo, qui nocere noluit, speciali nomine culpam dici: Interdum autem culpam in lucro non captando vel in damno non avertendo consistere & ad desidiam ac negligentiam pertinere, interdum ex alia aliqua causa extrinsecus accedere, veluti per imprudentiam, impotentiam, imperitiam, imbecillitatem, aut prohibente eo, qui prohibendi jus habet, vel immisando se negotio vel rei ad se non pertinenti & similibus causis. l)

§. VI. Docet porro: vulgo dividi solere culpam in latam levem & levissimam. Latam culpam esse, non intelligere id, quod omnes intelligunt, m) gratiae vel

i) vid. Struvium & Schöpff. dd. II.

l) Nicol. Burgundus de peric. & culp. c. 1. n. 6.

m) l. late 223. de V. S.

*DE CULPARUM PRÆST. IN CONTRACT.*

vel amicitiæ ductu aliquid facere , quod facere non licet n) Latam quoque culpam esse non facere , quod plerique omnes faciunt, item facere , quod nemo facit. Magnam etiam negligentiam latam esse culpam, & latam culpam pro dolo haberi in contractibus : In summa, quid sit lata culpa, quid levis, quid ievissima, certis regulis definiri non posse , & arbitrio judicis melius relinquere. o)

§. VII. Continuat : JCtos negligentiam à culpa separare, p) dum afferunt, in commodato præstari & culpam & diligentiam, ut ostendant aliud esse diligentiam aliud culpam: Diligentiam vero in jure astinari tripliciter, primò, quatenus in simplicem custodiam venire solet; q) secundò, quatenus ad plenam custodiā exigitur r) tertio ut plenæ custodiæ aliquid curæ adjiciat, & hanc ipsam esse diligentiam modò memoratam. Custodiam enim & sedulitatem non ad eundem semper modum præstandam esse. Aliquando enim redigi ad modum suum , cum quis eandem curam adhibet rebus alienis quam suis adhibere solet. Et hanc dici custodiam simplicem ac dolum duntaxat recipere , ac quicquid pro dolo habetur s); aliquando vero redigi ad communem hominum naturam , cum quis scilicet eandem curam adhibet rebus alienis, quam diligentissimus paterfamilias rebus suis adhibere

B solet.

n) l. si procuratorem 8. §. proinde 10. mandat.

o) Burgund. d. l. n. 7.

p) l. 5. §. nunc videndum & §. fin. commodati l. 23. de R. J.

q) l. socius socio 72. ff. pro socio. §. ult. Inst. eod.

r) l. 2. in fine de perie. & comm. rei vend.

s) l. quod nerva 32. ff. depositi,

solet. Et hanc dici custodiā plenam sive plenissimam, sive exactissimam dolumque recipere & culpam, & si quis eum modum tenuerit, prorsus esse extra culpam <sup>i)</sup>). Diligentiam autem dici, quando quis alienis rebus majorem adhibet curam, quam diligentissimus paterfamilias rebus suis adhibere soleat, veluti si quis in ruina <sup>ii)</sup>), tumultu, incendio, naufragio, cum res suas salvas facere posset, alienas prætulerit, <sup>x)</sup>

§. lIX. Cæterum non negat, quod sub culpæ appellatione etiam contineatur, quod in diligentiam peccatur <sup>y)</sup> quoties tamen queratur, utrum culpa tantum an & diligentia præstanda sit, verbum culpæ accipi contractius, atque ita fieri ejus aestimationem, ut quicquid in diligentiam committitur sub speciali culpæ nomine non veniat, quia scilicet naturâ suâ non sit culpa. Sed in suo genere tantum reprehensionem mereatur, ideoque à lege diligentiam vocari, non culpam. Differre igitur negligentiam à culpa, quod culpam contrahere dicatur, quoties quis aliquid facit, quod diligentissimus paterfamilias facere non solet, adeoque culpam referri ad officium boni patrifamilias; in diligentiam vero peccari, quoties quis faciat, quod non erat facturus vir bonus, diligentiamque adeo referri ad officium boni viri, cuius officium latius sit, quam boni patrifamilias. Igitur culpam in legibus ambiguè dici, aliquando enim ad modum redigi,

<sup>i)</sup> l. pignus g. & ibi Gloss. & Dd. C. de pign. aet.

<sup>ii)</sup> arg. l. qui furtum de cond. furt. l. g. §. cisi fortè g. ff. commend.

<sup>x)</sup> Burgund. d. c. i. n. g. -- 13.

<sup>y)</sup> l. in rebus 18, in princ. ff. commend.

digi, quem paterfamilias tenet in rebus suis, aliquando ad eum modum, quem diligentissimus paterfamilias in rebus suis servat, interdum quoque ad eum modum, quem in custodiendis rebus alienis teneat vir bonus, nempe ut boni & frugi patrisfamilias officium excedat, z)

§. IX. Secundum hæc principia posita postea Burgundus in sequentibus capitibus a) singulos contractus examinat inquirendo, qualis culpa & custodia in iis præstanta sit, & utrum etiam insuper diligentia præstari debeat, tandemque in capite finali distinctionem interpretum inter culpam levem & levissimam destruit, afferens, in contractibus, qui utriusque gratia fiunt, etiam venire culpam levissimam, cum ibi culpa præstanta sit, ad culpam autem etiam levissima pertineat, & cum in lege Aquilia, cuius actio semper cum actione ex contractu in casu damni concurrat, aa) præstetur culpa levissima, item cum illi contractus, qui utriusq; gratia fiunt, à JCtis quoad præstationem culpæ sæpius exæquentur commodato, b) Nec obstare, quod dissentientes dicant, in rebus commodatis adhibendam esse diligentiam, quam diligentissimus paterfamilias rebus suis adhibeat, c) in venditione vero locatione & pignore ac similibus saltem

B 2

exigi

z) Burgundus *ibid. n. 11. 14. 15.*

a) à cap. 2. usque ad 13.

aa) l. 13. §. 4. ff. locati, l. 27. §. 11. ad Leg. Aquil. l. 47. §. 1. l. 48.

49. 50. pro socio. l. 18. §. 1. commodari.

b) l. hoc ita 2. l. custodiam 3. de peric. & comm. rei vend.

c) l. 18. in princ. commoda,

exigi diligentiam, quam frugi, & diligens paterfamilias rebus suis adhibet. d) Etenim has meras esse nugas. Quippe frugi & diligentem ac bonum patremfamilias apud veteres JCtos eundem esse, ac diligentissimum. e) Diligentissimum enim patremfamilias ad eam tantum diligentiam teneri, quam communis hominum natura desiderat &c. JCtos vero interpres deceptos esse, quod confuderint negligenciam cum levissima culpa, quasi si qui diligentiam adhibeat, levissimam reprehensionem duntaxat mereatur &c. f)

§ X. Idem propè cum Burgundo in mente habens B. Struvius postquam communem de tribus gradibus culpæ sententiam ac tres eò respicientes regulas memorasset, postea suam sententiam subiuncturus, in contractibus ferme omnibus, in quibus culpa levis dicatur præstanta esse, etiam culpam levissimam existimat præstantam esse, seu diligentiam exactam adhibendam, quod & inde putat confirmari posse, quod in LL. frequentissime culpa absolute ponatur, & nulli alii speciei, quam dolo & latæ culpæ, quæ dolo ineft, opponatur. g)

§ XI. Regulas igitur has de culpa in contractibus præstanta statuendas esse arbitratur. h) I. Dolus & lata culpa solum præstatur in contráctu depositi, quia

d) l.35. §. si res vendita ff. de contr. empl. l.14. de pign. act.

e) l. merces 25. §. qui columnam 7. ff. locati.

f) Burgundus c. ult. 13. n. 3. 7. 8. o. 13.

g) l.5. §. 2. & 3. Commod. l. 23. verb. dolum ut culpam d. R. J. l. 9. §. 1. de duobus reis. Struv. d. Exerc. 19. §. 41.

h) d. S. 41. conf. decis. Sabbath. c. 5. dec. 7. seqq.

quia nulla utilitas apud eum versatur, apud quem res deposita est, nec natura contractus singularem industriam requirit, in & precario, quia res pro lubitu revo-  
cari potest, i) II. In aliis contractibus præstatur etiam culpa levis, & in plurimis etiam diligentia l) quam non minorem alienis quis quām suis rebus debet im-  
pendere, m) sed majorem, si ipse sit in suis negligens,  
n) III. In sola vero societate culpa non ad exactissi-  
mam seu majorem, quam quis suis rebus adhibet di-  
ligentiam dirigenda est: Sufficit enim talem diligen-  
tiam communibus rebus adhibere socium, quam  
suis rebus adhibere solet: & qui parūm diligentem so-  
cium sibi adsumit, de se queri, sibique hoc imputare  
debet, o) Idem ob cognitionem obtinet in rerum  
communione, quod scilicet in re communi non tanta,  
quanta in re aliena exigatur diligentia. p)

§. XII. Est vero satis notum, quæ inde contro-  
versiæ Beato Struvio cum Viro Illustri Coccejo ortæ  
fuerint, qui, etsi doctrinas Nicolai Burgundi non  
omnes improbaret, sed maximè ea, quæ de differen-  
tia diligentie à culpa tradidit, sequeretur q) quod ta-  
men Burgundi doctrinam de culpa levi & levissima at-

B 3 par. 33 tinet,

i) d. l. 23. de R. J. d. l. 5. §. 2 commod.

l) d. l. 23.

m) l. 1. pr. de tut. & rat. distract. l. 13. §. 1. de admin. tut. l. 5. §. 3.  
commod.

n) §. 3. quib. mod. re contr. oblig.

o) d. l. 23. junct. l. 72. l. 52. §. 2. pro socio. §. ult. Inst. de societ.

p) d. l. 23.

q) collat. 10. conf. collat. 12. §. 5.

tinet, ab eo & Struvio grayiter dissensit, r) ista fundamenta doctrinæ toti de culpis subjiciens: s) Delinquere & pœnam mereri, quisquis contra leges facit, dummodo necessaria facultate eas intelligendi & volendi sit instructus, ergo & licet actu non intelligat, modò possit intelligi. Igitur ex hoc rigore naturæ hominem ad omnem, eriam exactissimam diligentiam teneri in omnibus causis civilibus, &, si vel levissima culpa negligat ejus observationem, inde tanquam ex vero delicto teneri. t)

§. XIII. Sed hunc rigorem jus civile temperare ratione imbecillitatis humanæ & statuere I, ne exigatur maxima diligentia, quæ in potentiam intelligendi cadere potest, sed media, ad communem hominum modum, qualem scilicet præstant patresfamilias, qui vulgo frugi & diligentes habentur. Regulariter ergo & in genere jure civili præstari levem tantum culpam & medium diligentiam. u) Exceptiones esse, quoties ratio illa imbecillitatis cesset: Nimirum (1) si quis in se recipisse videatur diligentiam maximam, quod variis modis contingat, si scilicet quis ultro suscipiat negotium alterius, in quo prudenter & peritia requiritur, ut mandatarii facere solent,

r) collat. II.

s) collat. 2.

t) Hanc regulam dicit quoad res alienas disertis verbis referri in l. 21. Cod. mand. in quâ adeò vestigia rigoris naturalis adhuc apparent.

u) l. 6. & 9. §. 2. d. J. & F. ignor. l. 2. §. ult. quis ordo in possess. honor. l. 10. de bon. poss. arg. l. 32. depositi.

lent, & qui operas suas locare solent, *x)* item si quis in negotio aliquo simpliciter custodiam recipiat, vel tacitè vel expresse, ut nautæ, caupones, stabularii, *y)* item venditor, qui custodiam expresse recipit aut tacitè, si dies traditioni adjectus est, *z)* aut si quis cuncte negotio se offerat. *a)* (2) Si ipsius solius causa contrahatur, ne alteri mera sua officiositas sit damna-  
sa, ut in commodato, *b)* & ubi legatarius totum, quod  
est relictum, restituit. *bb)* Hinc si ipsius causa planè  
non contrahatur, nullam & ne levem quidem cul-  
pam præstari, nisi quæ dolo continetur, ut nec opus  
quidem hic sit beneficio imbecillitatis, nam hoc casu  
accipienti, beneficium quoque suum non debere esse  
damnosum, *c)* ut fiat in deposito, *d)* & mandato  
emendæ rei, quod prudentiam non requirat. *e)* In  
his ergo negotiis, in quibus certa culpa determinata  
est, non obtinere regulam memoraram, sed ibi in le-  
gibus per culpam intelligi id, quod in eo contractu

præ-

*x)* l. 13. & 21. C. mand. l. 24. C. de ushris, §. 2. de obl. que quæsi  
ex contract. l. 9. §. pen. locati l. 36. & 132. de R. J. l. 9. §. penult. locati.  
§. 7. seqq. d. L. Aquil. l. 8. §. ult. eod.

*y)* l. 1. princ. junct. l. 3. §. 1. Naut. caup.

*z)* §. 3. vers. quod si fugerit de empt. vend. l. 35. §. 4. de contrah.  
empt. l. 2. §. 1. l. 3. l. 4. §. 1. & 2. de peric. & comm. rei vend. l. 18. §. §.  
§. 9. l. 38. pr. de damn. inf. l. 36. de act. emt.

*a)* l. 1. §. 35. depositi.

*b)* l. 17. §. 3. commodatis.

*bb)* l. 108. §. 12. l. 36. §. ult. de leg. l. arg. l. 2. §. 10. & 16. l. 7. te-  
stam. quem. aper. l. 61. §. 5. de furt.

*c)* d. l. 61. §. 5. de furt.

*d)* d. l. 61. §. 5. junct. l. 1. §. 5. d. obl. & act.

*e)* l. 8. §. ult. l. 10. pr. l. 29. pr. & §. 4. mand.

præstatur; & per diligentiam exactam, quæ in eo exigitur. f)

§. XIV. II. In eo quoque jus Civile attemperare hunc rigorem ad conditionem humanæ imbecillitatis, quod ne has ipsas quidem culpæ species pro vero delicto habeat, ut quis inde obligetur ad pœnam, sed ad solam damni, quod alter passus est, restitutionem. g) Exceptionem esse (1) in L. Aquilia, quâ damna etiam levissimâ culpâ data inter vera delicta numerentur, adeoque in ea lege plenissimè rigoris naturalis vestigia manere. h) (2) In casibus singularibus, ubi culpa lata vel levior quoque instar criminis puniatur. i) Ad dolum igitur proprie dictum præcise requiri propositum lœdendi; propositum aliud quodvis, et si vi-  
tiosum, esse latam culpam, tale quoque esse propositum non negligendi res alterius, sed tamen magis eas negligendi, quam proprias. l) Huic proposito seu latæ culpæ comparari extremam negligentiam m), & utramque hanc culpam latam dolo comparari in damnis restituendis, exceptâ rerum communione, ubi

f) Quo intuitu se refert ad disputationes de culpis Diff. 1.  
prop. 12. & Diff. 2. §. 12.

g) l. 108. d. R. 7. l. 3. §. 21. 22. ad Silan.

h) l. 44. & t. t. Inst. & ff. ad L. Aquil. Ex quo fundamento innumeri casus, qui varie accidere possunt, definire optime queant, quales recensentur l. 7. seq. l. 27. l. 52. & pass. eod.

i) l. ult. §. ult. de off. pref. vig. l. 9. l. pen. de incend. l. 2. in fine de termino moro. l. 1. §. 3. de sicar. l. 38. §. 5. de pœn. &c.

l) l. 32. depos. l. 24. §. 5. solut. matrim. l. 22. §. 3. ad Trebell.

m) l. 226. d. V. S.

ubi non dolo sed levi culpæ comparetur, quia rebus communibus immixta sit pars propria pro indiviso, cuius intuitu non possit videri habuisse propositum negligentia aut affectasse negligentiam, unde in societate hanc culpam dolo opponi, nec ulterius ullam culpam in societate exigi, n)

§. XV. Prætorem quoque temperare rigorem naturæ, dum in negotiis à se solo introductis solum dolum non culpam attendat: Cum enim lege civili nihil de eo cautum fuerit, sufficere putasse Prætorem, si dolum faltem coërceret; velut si mensor falsum modum dixerit, & in precario. o)

§. XVI. De casu id adnotatur p), quod id in genere casu fieri dicatur, quicquid ex improviso fit, i.e. quicquid à nobis actu non fuit provisum, et si provideri potuerit. q) Quod si autem provideri debuerit, & legibus improbetur illa imprudentia, jam casum tallem incipere esse culpam, & inde esse, quod aliquando levissima, levis aut lata culpa, vel contineantur sub casu, vel opponantur, prout in legibus pro culpa habentur vel non. r)

§. XVII. Neque tamen sufficere s) ad quæstio-

## C

## nes

n) l. 25. §. 16. Fam. ercise. l. 25. pr. de prob. l. 23. d. R. j. l. 72. pro socio §. uit. eod. junct. §. penult. quib. mod. re contr. oblig.

o) l. 1. princ. & §. 1. si mensor fals. mod. dixerit, l. 2. pr. l. 8. §. 3. l. 14. de precar. l. 14. §. 11. de furt.

p) d. collat. 2. §. 24.

q) l. 52. §. 3. pro socio.

r) l. 9. & 11. de incend. ruin. l. 12. l. 14. de custod. reor. l. 22. §. 3.

ad Trebell.

s) Diff. 1. Stell. 2. propos. 1. & coll. x. §. 1.

nes de damno definiendas & leges de iis loquentes explicandas, tres istas species dolum, culpam & casum, dum omittatur diligentia, seu ejus oppositum negligentia, quæ diversa sit à culpa, & semper ferè separatim à culpa tanquam species ei opposita in legibus profiri soleat. t)

§. XLIX. Qui extra partes positus sincerum de his dissensionibus judicium ferre voluerit, deprehendet in singulis hactenus recensitis opinionibus multas elegantes observationes & assertiones, quoties doctrina diversæ sententiaz impugnatur; sed & deprehendet in singulis multa dubia & non æque bene cohærentia, quoties de confirmanda propria doctrina agitur. Et talia etiam deprehendet quilibet in sua propria si quis novam sententiam forte excogitare & doctrinam Juris Justiniane in hoc capite ad harmoniam redigere velit. Scilicet putamus, omnes difficultates inde oriri, quod Dd, hactenus voluerint conciliare textus Juris Justiniane de præstatione culparum, cum tamen diligentia Tribonianus nobis multas JČtorum veterum, si usquam, certe in hac doctrina, mire discrepantium dissensiones reliquerit, quas non est possibile in concordiam redigere, præprimis cum ipsius terminis doli, culpæ, casus, periculi, diligentiae, custodiæ maxime ambigue usi fuerint, & sæpe aliæ controversiæ, v. g. utrum legis Aquiliae & in factum actio concurrat cum actionibus ex contractu; utrum lex Aquilia omniem ubique culpam, etiam levissimam coercent, his disputationibus tuerint mixtae.

## §. XIX.

t) l.5. §.2. in fin. & §. ult. commod. l.23. de R. J. l.47. §. pen. de leg. a.

§. XIX. Accessit, quod res ipsa, de qua agitur, partim propter infinitam circumstantiarum varietatem, partim propter maximè vagas & fluctuantes doli, culpæ latæ, levis, & levissimæ, item casus, ideas non possit exactis & perspicuis regulis includi, ex quibus casus obvenientes palpabiliter dijudicari queant, sed ubique prudentia hic sit opus, eruendi istas circumstantias, & posteà communia principia vel æqvitatis naturalis vel etiam Juris civilis speciales dispositiones applicandi. At prudentia non potest regulis exacte definiri & includi.

§. XX. Quare cum Jcti Romani hoc tamen non obstante voluerint regulas in materia maximè irregulare dare, non potuit non evenire, quin illæ regulæ tanquam insufficients ab aliis reiicerentur, & aliæ rationes decisionum substituerentur, quæ sæpius non majoris ponderis sunt, quam doctrinæ rejectæ, quod & in ipsis doctrinis, in quibus ferè consentiunt Jcti Romani, subinde observare licebit. Hæc vero singula si monstraverimus, deprehendemus; necesse esse, ut pleraque, quæ hic a Dd. & Romanis & novioribus tanquam certissimæ rationes & principia venditantur, relinquent tamen secundum doctrinam Donelli, ut initio notatum, nodos inextricabiles, in quibus frustra se Dd. torquent & discentes cruciant.

§. XXI. Dissensisse Jctos veteres inter se, ex historia juris desetis Jctorum patet. Omnium verò maximè in hac materia dissensisse, vel exinde certum est, antequam corpus Juris evolvamus, quia doctrina hæc ob multas abstractiones est una ex subtilioribus.

ribus. Quo subtilior vero est doctrina eò frequentior est dissensio inter homines speculationibus & factis de-ditos, cum veritas & falsitas assertionum non ita in oculos cadat, ac in rebus magis palpabilibus. Sed & dissensum hunc apertè docet Jus Justinianeum, dum in commodato Ulpianus notat non omnes confessisse, sed veriore tamen esse Quinti Murii sententiam, ex-istimantis, & culpam præstandam esse & diligentiam, u) item, apud veteres dubitatum esse, an eriam ho-minis custodia præstanta sit in commodato, x) Item, quæsitum fuisse, an tantum dolum præstare socium oporteat, an & culpam, & Celsum pronunciassse pro fententia posteriore y). Ita Paulus à Labeone, (sta-tuente, si servus venditus crus frergerit, periculo vendororis id non esse, si id non imperasset, quod sole-bat ante venditionem facere, & si id imperaverit, quod etiam non vendito servo imperaturus erat,) varias ob causas dissensit, variaque exempla dissensionis af-fert, z) Sic quod Nerva diceret latiorem culpam dolum esse, Proculo displicebat, Celso verissimum vi-debatur, a) Ita Julianus cum eo, qui mercedem pro custodia accepit, agi posse negat de damno ab alio da-to, addita ratione, quasi nulla custodia consequi potuerit, ne damnum ab alio detur. Sed Marcellus in-terdum esse posse ait, sive custodiri potuit, ne damnum dare-

u) l.5. §.2. *Commodati.*

x) d.l.5. §.6.

y) l.52. §.2. *pro socio.*

z) l.54. *de aet. emt.*

a) l.32. ff. *depositi.*

daretur, sive ipse custos damnum dedit, idque Ulpianus probat. b) Alia loca, ut jam taceam. Hæc enim statim se obtulerunt paululum evolventi Jus Justinianum.

§. XXII. Reliquisse verò Tribonianum in doctrina culparum multas dissensiones, atque utramque JCtorum dissentientium sententiam corpori juris inseruisse pariter evidens est. Ita secundum regulam ab Ulpiano relatam in locato, ubi merces custodiæ accessit, & dolus & culpa præstatur, non diligentia nec periculum. c) Contra Gajus docet d) eum qui mercedem accipit pro custodia alicujus rei, hujus custodiæ periculum præstare; & in conductione transportandæ columnæ vel aliarum rerum culpam tunc demum abesse dicit, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset, e) item docet, culpæ conductoris fundi annumerari, si propter inimicitias ejus

C 3

vicinus

b) l. 41. locati. junct. l. 19. commodati.

c) l. 5. §. 2. commodati. Dico relatam ab Ulpiano. Nam re ipsa parùm sensisse Ulpianum de illa regula infra docebitur. Ut adeo non mirum, quod Ulpianus ipse eidem contradicat in sequentibus exemplis hic adductis.

d) l. 40. ff. locati. Hunc locum ad usum rerum conductum transtulit Tribonianus §. 5. Commodati: Qui pro usu aut vestimentorum, aut jumenti mercedem, aut dedit, aut promisit, ab eo custodia talis desideratur, quemad diligentissimus patrifamilias suis rebus adhibet. Unde cadit eorum conciliatio, qui in locatione operarum volunt saltem præstari culpam levissimam, in locatione usus autem culpam saltem levem.

e) l. 7. §. 7. locati.

vicinus arbores exciderit, f) Imò ipse Ulpianus cum Pomponio docet; si quis domum bonâ fide emtam vel fundum locaverit mihi, isque sit evictus sine dolo malo culpave ejus; nihilominus eum teneri, ut mihi præstetur, frui, quod conduxit licere. g) Item, conductorem fundi vel ædium culpam servorum & quos induxerit præstare suo nomine, si tales habuerit, vel suos vel hospites; h) item si quis servum conduxerit, eumque duxerit peregré, & aut ab hostibus captus sit, aut perierit, ex locato teneri, i) si gemma includenda aut insculpenda data sit, & fracta fuerit ex imperitia faciens, si fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures raserint, ex locato teneri, imperitiam enim culpam esse. l)

§. XXIII. In pignore similiter Ulpianus regulas referens dolum & culpam præstari docet, non periculum & diligentiam, ut in commodato. m) Alibi verò magis ex sua sententia in hac actione & dolum & culpam venire dicit, ut in commodato, imò & custodiā,

f) d. l. 7. §. quem casum ideo nota, quia quidam distinguunt, ut dissentientes JCtos concilient inter locationem rerum mobilium & immobilium, in illis diligentiam exactissimam, in his saltem exactam requirentes.

g) l. 9. pr. eod.

b) l. 11. pr. eod. Habet hic iterum duo exempla locatarum rerum immobilium.

i) l. 13. §. 5. & 6. junct. l. 9. §. 5. eod.

m) l. 5. §. 2. commodati. Adde l. 22. §. 4. de pign. att. Gajum l. 18. in fin. princ. commod. quos sequitur Tribonianus §. ult. quib. mod. re contr. oblig.

diam, non tamen vim majorem, n) Quorū & Paulus respexisse videtur, culpam quæ hic præstari debet, vi majori opponens, o) & Diocletianus pariter creditorēm à vi majore quidem liberans, cæterum tamen dolum & culpam, & custodiam ab eo exigens. p) Ratio dissensus in promtu est. Prioris assertioñis autores pignus habuerunt pro contractu, ubi utriusque versatur utilitas. q) Probabile igitur est dissentientes habuisse pro contractu, ubi solius creditoris est utilitas, r)

§. XXIV. Jam suprà rhonuimus, in societate dubitatum fuisse, an in ea etiam culpa præstetur. Celsus ait, etiam culpam, non solum, ubi ars & opera in coeunda societate fuerit promissa, sed & magis admisit, culpam quoque venire, si socius rei communī noctuit, damna tamen fatalia non debere præstari, idque etiam Ulpianus agnoscit, s) Contrà Cajus socium socio etiam culpæ nomine teneri quidem concedit, sed eam de desidia atque negligentia exponit, addens, sufficere si talem diligentiam communib⁹ rebus socij adhibeat, qualem suis rebus adhibere solet, quia

qui

n) l.13. §. 1. de pign. ad.

o) l.30. de pign. ad.

p) l.19. C. de pign. & hypoth. Alii tamen Imperatores priori sententia videntur favisse l.7. & 8. C. de pign. ad.

q) d.l.5. §. 2. Commodari d. §. ult. quib. mod. re contr. oblig.

r) Que etiam sententia sua ratione non contemenda nititur. Pignus enim est contractus accessorius. Igitur debitor utilitatem non habet ex contractu pignoris, sed ex praecedente contractu mutui.

s) l.52. §. 2. & 3. pro socio, l.5. §. 2. commods.

qui parum diligentem socium sibi acquirat, de se queri debeat, *t*) quo pacto reverā non majorem culpam præstat socius, quam latam, quæ dolo & quiparatur, & qualem depositarius præstat, *u*) Non mirandum autem, quod Interpretes communiter hunc diffensum quibuscumque distinctionibus conciliare intendant, aut eandem planè non sentiant, cum ipse Tribonianus non senserit, existis diversè sentientium JCtorum textibus in institutionibus suis unum paragraphum componens, *u*)

§. XXV. In mandato Ulpianus nihil amplius vult præstari, quam bonam fidem, id est dolum & latam culpam & ultrâ mandatarium non teneri, *x*) haud dubiè respiciens ad eam rationem, quod in mandato mandatarius nullam habeat utilitatem, *y*) sed Imperator Diocletianus à Procuratore dolum & omnem culpam, non etiam improvisum casum præstandum esse voluit, *z*) Cum quo faciens Imperator Constantinus rationem addit & regulam, quod suæ quidem rei quisque moderator & arbiter pleraque negotia ex proprio animo faciat; aliena vero negotia exacto officio gerantur, nec quicquam in eorum administratione neglegetum ac declinatum culpa debeat esse vacuum. *a*)

Quare

*t*) l. 72. ff. eod.

*u*) §. ult. Inst. de societate, cuius videlicet prior pars desumpta est ex d. l. 52. §. 2. posterior ex d. l. 72.

*x*) l. 8. §. ult. l. 10. pr. ff. mand.

*y*) arg. l. 5. §. 2. commod.

*z*) l. 13. C. Mandati.

*a*) l. 21. C. eod.

Quare nec mirandum, quod in contractu affini negotiorum gestionis similis dissensus occurrat, quibusdam latam faltem culpam vel etiam levem, b) aliis contrà exactissimam diligentiam exigentibus. c)

§. XXVI. Sufficere poterunt haec tenus dicta specimenis loco attulisse in ostendendis ruderibus dissensuum circa præstationem culpæ in corpore Juris reflectis. Ex his verò vel tyronibus patet, quid sentiendum sit de conciliatione Glossatorum, modò superlativum pro positivo, modò contra diligentiam exactam pro exactissima fumentium, quod idem est ac si velis eo genere conciliandi uti, levissimam culpam alibi pro levi & levem alibi pro levissima accipi. A qua parum abit aliud inventum Doctorum supra memoratum, quod per culpam in contractibus semper sit intelligenda, qualem requirat natura contractus, i. e. modo levis, modo lata, modo etiam levissima, et si alias regula sit, per culpam absolute positam intelligi culpam levem. Ut enim & hæc observatio ferè cum observatione illa Glossatorum jam rejectâ coincidit; ita valeret forte eadem & usum haberet, si unus idemque autor ex firmis & non variantibus principiis doctrinam de culpis deducens foret explicandus. Cum enim regulariter homines de re quadam scribentes eam rem ejusque naturam semper in mente habeant, æquum etiam est, ut interpres verba etiam latius & indefinite posita ad naturam illius objecti explicet, & modo extendat, modo restringat, unde etiam vulgata regula, verba intel-

D

intel-

b) I.3. §. 9. l. II, de neg. geß.

c) I.37. §. 1. cod. §. 1. Just. de obl. que quasi ex contr.

*atq. Sie uns dñe*

intelligenda esse secundum substratam materiam ortum duxit. At ubi exponendi sunt, autores dissentientes, id est naturam rei, de qua agunt diversimo de & opposite concipientes, illud brocardicum nihil juvat, cum de ipsa contractus natura, secundum quam juxta illud axioma interpretatio facienda eslet, æquè dissentiant.

§. XXVII. Porro cum non solum in contractibus, sed & extra eos de damni restitutione ex Legi Aquilia agatur, quæstum est, utrum in contractibus etiam Legis Aquiliæ actio locum habeat? Scilicet id quidem Gajus afferit, sive pignus, sive commodata res sive deposita deterior ab eo facta sit, qui acceperit, non solum actiones ex contractu esse, sed etiam legis Aquiliæ, d) idem de actione pro socio notat Ulpianus e) de actione locati plures f) de actione depositi Julianus, g) sed ita tamen ut verba; & Celsus & Julianus & Pomponius scribunt, h) item Julianus scribit: i) Proculus ait: l) indicent JCTos veteres eā in quæstione dissensisse.

§. XXIX. Cæterum & hæ assertiones tamen dubiam explicationem habent, inque ejus conceptu mirè dissentient JCTri celeberrimi. Dicitur equidem in omnibus

d) l. 18. §. 1. *Commodati.*

e) l. 47. §. 1. junct. l. 48. 49. 50. *pro socio.*

f) l. 25. §. 5. *locati.* l. 13. §. 4. *ead.* l. 5. §. 3. *ad leg. Aquil.* l. 27. §. 11. & 19. *ead.*

g) l. 42. *ad leg. Aquil.*

b) d. l. 47. §. 1. *pro socio.*

i) d. l. 5. §. 3. *ad L. Aquil.*

l) d. l. 7. §. 7. *ead.*

bus illis textibus, quod ubi actiones ex contractu locum habeant, locum habeat etiam actio legis Aquiliæ, cæterum non dicitur, quod ubi actio ex contractu non habeat locum, tūm actio Legis Aquiliæ danda sit, quod tamen sunt, qui arbitrantur, & loco cautelæ commendant, ut deficiente in damno dato actione ex contractu, quis experiatur actione Legis Aquiliæ, m) Equidem Ulpianus in casu, ubi Julianus dubitavit, an actio locati locum habeat, non dubitavit tamen actioni Legis Aquiliæ locum esse; sed tamen alibi se declarat, quod arbitretur, Julianum sine ratione dubitasse de actione locati. n) Adeoque nec hic locutus poterit aliquid pro illa sententia probare.

§. XXIX. Etenim si Legis Aquiliæ actio Locum haberet adversus eum, quem actione ex contractu convenire nequeo, non diceretur à JCTis, quod una actio alteram tollat, o) cum potius eti actione contractus egisset, & reus fuissest absolutus, mihi restare deberet actio Legis Aquiliæ. Imo quid opus habuissent JCTi tam anxie de gradibus culpæ in contractibus disquirere & dissentire, si de damno quacunque culpa dato licuerit etiam actione ex contractu non competente, ex Lege Aquiliâ agere: neque enim solarum formularum diversarum gratia talis ac tantus dissentius videtur fuisse susceptus,

D 2

§. XXX.

m) vid. Schœpf. ad tit. *commodati* n. 27. Dn. Präfid. *dissert.* de larva legis Aquiliæ &c. §. 20. & eo inclinat etiam Burgund. de peric. & culp. c. ult. vid. *språ* §. 9.

n) vid. d. l. 5. ff. ad L. Aquil. junct. d. l. 13. §. 4. locati.

o) dd. textibus §. 26, citatis.

\* \* \* Aut actio ex contractu damna quacunque culpa dato regi est tunc in semper actio: Aql. estimuit.  
aut actio ex contractu damna alii regi est tunc in semper actio:

§. XXX. Fuit, cum suspicarer, ita secrevissē JCtos Romanos doctrinam de damnorum datione & culpis in contractibus, ut si ipse, qui ex contractu rem alienam penes se habet in eādamnum dederit, teneatur ex omni culpa in quocunque contractu, etiam ex levissima, adeoque his casibus semper concurrisse actionem L. Aquiliæ & ex contractu. At si damnum datum sit ab aliis, si res furto, incendio, ruina aut qua-  
cunque violentiâ vel culpâ rerum extra nos fuerit ab-  
lata aut deteriorata, tum non locum habuisse actionem L. Aquiliæ, cum Lex Aquilia de eo casu loqua-  
tur, si quis ipse fregerit, usserit, ruperit, occiderit &c.  
Sed tum quæstionem esse, qualem culpam in illo con-  
tractu intuitu custodiæ præstare quis debuerit, atque  
adeo totam disceptationem de diversis gradibus  
culpæ reducendam esse ad culpas custodiæ,  
non ad culpas facti proprii. Et fateor, non so-  
lum ipsa JCtorum verba, p) sed & plerosque casus,  
ubi de culpa in contractibus quæstio est ad hanc distin-  
ctionem respicere. q) Sed tamen nec hic consensus  
JCtorum fuit universalis ac indubius, cum Paulus di-  
cat, de eo, qui die ventoso in stipulam suam ignem  
immiserit, qui ulterius evagatus alienam segetem læ-  
serit, & eum qui occasionem præbet, damnum fe-  
cisse videri r) & Ulpianus cum Neratio sentiat, utilem  
L. Aquiliæ actionem, tam in eum dandam esse,  
qui ad fornacem obdormivit, quam in eum qui ne-  
gligen-

exemplū apit de  
extra Codicis  
iusta & male affec-

p) d.l. 25. §. 4. & 5. locati & d.l. 18. §. 1. commodatio.

q) vide textus citatos ad §. 21, 22, 23, 24.

r) l. 30. §. 3. ad L. Aquil.

gligenter custodiuit, ubi tertius ignem fornaci subje-  
cit, s)

§. XXXI. Miraberis autem, quod supra afferue-  
rim, JCtos non fuisse in eo unanimes, utrum semper in  
L. Aquilia culpa levissima præstetur, postquam Ulpia-  
nus disertè id afferuit & hanc ejus assertionem Docto-  
res unanimiter repetunt. u) Sed desines mirari, si consi-  
deraveris, quod Paulus dilucide affirmet, quod puta-  
tor, qui ex arbore ramum dejiciat, vel machinator in  
loco ubi nullum iter fit, dolum duntaxat præstare de-  
beat, ne immittat in eum, quem viderit transeuntem,  
culpam vero ab eo exigendam non esse, cum divinare  
non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit.  
x) Similiter cum pila complures luderent, & quidam  
ex his servulum cum pilam percipere conaretur, im-  
pulisset, servus cecidisset & crus fregisset; quærebatur,  
an dominus servuli lege Aquilia cum eo, cuius im-  
pulsu ceciderat agere possit? Sanè si diligentiam exactis-  
simam adhibuisset ille, nec impulisset servulum, nec  
servulo adeo occasionem præbuisset crus frangendi.  
Respondet tamen Alvenus, non posse dominum con-  
veniri, & hoc factum magis inter casus quam ad cul-  
pam retulit. y)

§. XXXII. Dixi porro doctrinam de culpis regu-  
lis non posse includi propter infinitam circumstantia-

D 3 rum

s) l. 27 §. 9. eod.

t) l. 44. pr. ad L. Aquil.

u) vide commentatores ad §. 3. Inst. de L. Aquil. & ad Pan-  
del. eod. tit.

x) l. 31. eod.

y) l. 52, §. ult. eod.

rum vicietatem. Exempla infinita deprehendes in ipso jure Justinianeo. Ita Mela scripsit, si cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percussa in tonsoris manus eam dejecerit, & sic servi, quem tonsor radebat gula sit præcisa, adjecto cultello, in quo cunque eorum culpa sit, eum lege Aquiliæ teneri. Sed quæstio jam est, in quo sit culpa, quæ per regulas expediti nequit. Neque ipsi JCTi hic consentiunt. Proculus in tonsore ait esse culpam. Ulpianus id concedit, si ibi tonderet, ubi ex conuetudine ludebatur, vel ubi transitus frequens erat, tunc enim esse quod ei imputetur; Sed tamen mox dubitanter addit, nec illud male dici, si in loco periculoso seilam habenti tonsori se quis commiserit, ipsum de se queri debere.<sup>z)</sup> Mirum quod illius nulla sit mentio facta, qui pila lusit, nisi quod tacite videatur innuisse Ulpianus, eum teneri, si lusisset in loco insolito. Alfenus planè non concessisset actionem sed totam rem casu magis quam culpa esse factam respondisset.<sup>a)</sup>

§. XXXIII. Unde & sæpe responderunt JCTi, ut parum prodesset partibus quærentibus, supponentes varias circumstantias, quæ difficiles probatu essent. Tale est responsum ejusdem Alfeni de tabernario, qui in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat, quidam præteriens eam sustulerat tabernarius eum consecutus lucernam reposcebat & fugientem retinebat: ille flagello quod in manu habebat, in quo dolor inerat, verberare tabernarium cœpit, ut se mitteret, ex eo majorre rixâ

<sup>z)</sup> l. u. pr. ad L. Aquil.

<sup>a)</sup> arg. l. 52, §. fin. cod.

re rixâ factâ tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat. Quærebatur : num damnum injuria non videtur dedisse, quoniam prior flagello percussus esset. Respondet Alfenus, nisi datâ opera effodisset oculum, non videri damnum injuria tecisse: culpam enim penes eum, qui prior flagello percussit, residere. Sed si ab eo non prior vapulasset, sed cum ei lucernam eripere veller, rixatus esset, tabernarii culpâ factum videri. b) Quid prodest hoc responsum quærenti, cum vix probare possit illam circumstantiam, in qua responsum fundatur, quia res noctu inter istos duos solos, ut videtur, gesta fuit. Et imò cur JCtus in sola hac circumstantia rationem responsi sui quærit? Alii fortè respondissent plane opposito & sequenti modo: sed et si ab eo non prior vapulasset, sed cum ei lucernam eripere veller, rixatus esset, tamen culpatabernarii id factum non videri, ideo quod alter lucernam injuria abstulerat & reposcenti reddere nolebat, sed partim fugiebat, partim resistebat.

§. XXXIII. Simile est plane responsum statim sequens ejusdem Jcti. In clivo Capitolino duo plaustra onusta mulæ ducebant: prioris plostrî muliones conversum plostrum sublevabant, quô facilè mulæ ducerent: interim illud prius & superius plostrum cessim ire cœpit, & cum muliones qui inter duo plostra fuerunt, ex medio exissent, posterius plostrum à priore percussum retrò redierat, & puerum cuiusdam obtriverat. Dominus pueri quærebat, cum quo se agere oporteret. Respondit Alfenus, in causa jus esse positum, id est

b) d.l.52, pr. eod.

id est in facti circumstantiis, quæ ostenderent, quisnam sit causa damni. Nam si muliones, qui superius plostrum sustinuerint, suà sponte se subduxissent, & ideo factum esset, ut mulæ plostrum retinere non possint, atque onere ipso retraherentur, cum domino mularum nullam esse actionem, cum hominibus qui conversum plostrum sustinuerint, lege Aquilia agi posse: nam nihilominus eum damnum dare, qui quod sustineret, mitteret sua voluntate, ut id aliquem feriret, sed si mulæ, qvia aliqvid reformidassent, & muliones timore permoti, ne opprimerentur, plostrum reliquistent, cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. Quod si neqve mulæ neqve homines in causa essent, sed mulæ retinere onus nequissent, aut cum conniterentur, lapsæ concidissent, & adeo plostrum cessim redisset, atque hi, quo conversum fuisse, onus sustinere nequissent, neqve cum domino mularum, neqve cum hominibus esse actionem. c) Vides post multas ambages rem è redire, ac si Alfenius paucissimis verbis respondisset, cum nemine agi posse, sed casui magis, quam culpæ hoc factum esse adscribendum, nisi fortè probari posit, vel muliones se sponte subduxisse, vel mulas aliquid reformidasse, tum vel cum hominibus vel cum domino mularum agi posse.

§. XXXV. Addam adhuc unum exemplum ex doctrina de commodato. Si servum tectorem tibi commodavero, & de machina ceciderit, quæritur, cuius sit periculum? secundum regulam Juris Romani periculum ad dominum spectat, non ad commodatarium.

Sed

s) d.l.52. §. 1. cod.

Sed regula ipsa nihil prodest ad determinationem quæstionis. Respondet equidem Namusa, periculum meum esse, non quod sim dominus, sed quod tectorem tibi commodaverim. Ulpianus tamen adhuc alias circumstantias considerandas arbitratur, ut illa decisio vera esse possit; si scilicet tibi tectorem commodaverim ut in machina operaretur: cæterum si, ut deplano opus faceret, tu eum imposuisti in machina, aut si machinæ culpa factum sit, minus diligenter à commodatario ligata, vel funium perticarumque vetustate, tum id periculum censendum esse culpa ejus contigisse, qvi commodatum rogaverit, adeoque ipsum id præstare debere. Nam & Melam scripsisse, si servus lapidario commodatus sub machina perierit, teneri fabrum commodanti, qui negligentius machinam colligavit, d) Ita Ulpianus. Si mutes iterum vel minimam circumstantiam aliter se res habebit. Quod si enim ipse tector ad hoc ut in machina laboraret commodatus machinam minus diligenter ligaverit, periculo id erit commodatis, e)

S. XXXVI. Tales quamplurimos casus alios in jure Justinianeo repieres, ubi JCti quæstiones propositas ex minimis circumstantiis definiti, sine ullo adhibito regularum de gradibus culpæ usu. Accedit, quod & istæ regulæ vix applicari possint ob vagam nimis & fluctuantem terminorum ideam. Quod dolum attinet, paullò remissius nos debere versari in explicazione doli intuitu commodantis, notat Africanus f) h. e.

E

ut ex

d) l.5. §.7. commodati.

e) conf. d.l.5. §.13. in fine eod.

f) h.61. §.6. in fine de furis.

ut exponit Cujacius<sup>g)</sup>) judicem non quacunqve ex conjectura arguere debere quasi commodans sciens dolomalo ignorantis rem noxiari commodaverit, nec adeo omnia debere ad vivum refecare, sed multa condonare, multa concedere, & consequenter laram culpam pro dolo non habere. Nam ubi remissius fit doli interpretatio, non continuò videtur culpa lata dolo annumeranda esse. Et notum est commune brocardicum Glosatorum etiam causam satuam à dolo excusare.

§. XXXVII. Levis culpæ tanquam gradus intermedii communiter dicunt varios esse quasi subgradus, cum diligentia quæ prædicti sunt diligentes patres familiæ non possit ad punctum reduci, sed diligentes patres familiæ varia & diversa gaudeant diligentia. Adde quod illi qui cum Justiniano socii culpam levem sic exponunt, ut tamen non majorem debeat adhibere diligentiam quam rebus propriis, neesse habeant statuere, quod ea revera sit lata, sed in effectu tamen, i. e. quod hic dolo non contineatur, dicatur levis.<sup>b)</sup>

§. XXXVIII. Culpa deniqve levissima cum casui sit proxima, cum casu otiam facile confundi potest. Cum enim is demum hac culpa vacuus esse dicatur, qui supremum diligentiae gradum, ultræ quem hominum natura haud procedit<sup>i)</sup> adhibet, quis illud punctum determinare poterit supremæ diligentiae humanæ, cum nullus ferè possit fingi casus, de quo, postquam contingit, dici nequeat, quod non contigisset, si hoc ita vel ita

g) ad Africanum f. 534.

b) vid. Ill. Dn. Cicerj. collat. 6. & collat. 2. §. 21. 22.

i) Struv. Ex XLIX. lib. 28. ex communi doctrina,

ita fuisset factum. Et quis est ille diligentissimus paterfamilias , aut ubi existit extra cerebrum humanum, qui normam debeat præstare aliis. Nec juvat addita explicatio , quod ille supremus diligentiae gradus, ultra quem hominum natura non procedat sit is, quem communis diligentissimorum patrum familias modus desiderat; neque vero in dijudicanda hac culpa unius vel alterius nimiam inspici debere diligentiam, sed eam , quæ in pluribus ultrâ communem sortem diligentibus reperitur. *l)* Hic quidem multa verba audio , sed ideam propterea distinetorem & perspicuum fieri non sentio. Quinam enim sunt illi nimie diligentes , & qui sunt illi qui inter nimiam & communem patrumfamilias diligentiam medii sunt? Vereor, ne norma reliquorum evadant homines avari tenaces , timidi &c. In vita communi nemo acquirit, qui non aliquid audet & perdit &c.

§. XXXIX. Quam vero minima circumstantia possit casum in culpam, & culpam in casum mutare, ex hac tenuis prolatis quibusdam exemplis patet. Alia expeditabunt alii. *m)* Et hæc ratio est, cur furta aliquando non solum levissimæ sed & levi culpæ adscribantur, aliquando vero etiam sine culpa ullâ ejus qui rem alienam ex contractu tenet, accident, & casui adscribantur. *n)* Ex hoc vero constat, quod etiam culpa levis saepius in casum mutetur, non solum levissima.

§. XL. Dicamus jam pauca dè ipsis illis regulis,  
E 2 qui-

*l)* Ibidem.

*m)* Vide textus citatos à Struvio *Ex ig. §. 44.*

*n)* Struv. *ibid. §. 32. in fine.*

quibus communis doctrina superstruitur. Fefellerunt se & suos auditores interpretes, quod putarunt ad eas respexisse JCtos omnes, qui de damni præstatione in contractibus, quid scriperunt. Mihi potius viderur longè verisimilius, hoc primum inventum fuisse Africani <sup>a)</sup> JCti non optimi nec acutissimi, <sup>p)</sup> quem pauciores postea quidam fuere fecuti. Repetit quidem <sup>b)</sup> eas Ulpianus in uno loco, <sup>q)</sup> sed in aliis tamen <sup>r)</sup> satis evidenter ab iis ipse recedit; alii JCti disertè alius regulis utuntur. <sup>s)</sup>

<sup>c. 10. c. 12.</sup> §. XLI. Neque mirum, istas Africani regulas à JCtis reliquis plerisque fuisse neglectas. Præterquam enim, quod jam supra de iis notatum fuit, <sup>t)</sup> quod plura sint exempla exceptionum à secunda regula, quam regulæ ipsius, quid si quis de toto fundamento, quo tres istæ regulæ nituntur, dubitaret. Quid enim utilitas utriusque vel unius ex contrahentibus ad augendos, vel minuendos gradus culpæ, vel diligentiae aut

<sup>a)</sup> Hujus enim sunt textus l. 108. §. 12. de legatis l. 1. 61. §. 5. de furis, istis regulis superstrueti.

<sup>p)</sup> Vixit sub Hadriano, & fuit discipulus Juliani. Eberl. de orig. iur. c. 48. n. 21. Scholastici Doctores de Africano dicere sunt soliti: hæc lex Africani est, ergo difficilis. Vide omnino Homannum in Antitriboniano cap. 12. p. 154. seq. edit. noviss. Dr. Beyeri.

<sup>3. c. 12. ex aste, venientia (9) l. 5. §. 2. commodatæ.</sup>

<sup>r)</sup> potissimum in l. 23. d. R. T. Adde alia exempla supra §. 21. & 22. adducta.

<sup>s)</sup> Qualis est regula Gij. l. 40. ff. locari. Conf. supra §. 21.

<sup>t)</sup> Supra §. 3.

aut custodiæ? Nullam utilitatem habeo ab eo, cuius rem citra contractum corrumbo, & tamen culpam levissimam præsto. Nec est, quod urgeas, tum nec eum cui damnum fit, aliquam utilitatem ex me percipere, atque ob eam causam in lege Aquilia præstari culpam levissimam. Negabo enim meliori jure & hanc causam. Potius regula generalis & Juris gentium est, dolum & culpam quamcunque meam mihi non debere prodefere & alteri nocere, sive res ejus ex contractu penes me fit, sive citra contractum. Res alienæ etiam regulariter magis custodiendæ sunt, quam propriæ, quoquæ ex contractu penes me sint, cum in rebus propriis arbitrium habeam, eas pro lubitu perdendi, ergo multo magis negligendi, in alienis autem is, quires suas mihi relinquunt, regulariter non fidem solum meam sed & industriam respexisse videtur. Er si noluissem omnem diligentiam adhibere, non debuisse sum me immiscere negotio & rei alienæ, sed ubique tamen, id est in omnis generis contractu, res ita in aestimatione culpæ temparanda erit, ne rigor nimius urgeat eum, qui occasionem aliquam remotam ad damnum dedit, vel penes quem res aliena perii, sed ex infinitis circumstantiis ipsius facti & naturæ negotii cuiuslibet res determinetur; uti & determinarunt ipsi JCTi Romani in plerisq; quæstionibus, quarum exempla sunt relata in Jure Justinianeo, ut ex exemplis quibusdam supra n) adductis appareat.

S. XLII. Unde jam facile monstrari potest, quanam ratione nitatur ista communis assertio, quod depo-

E 3

sitarius

n) Supra S. 32. 33. 34. 35.

*non valet arg.  
a. delictis  
tracto.*

*+ nisi ei alter  
in culpa sit  
alter debet  
petere sibi pro  
culpam & diuin  
g currit solus  
ex parte imputatio  
utilitatem querit*

sitarius dolum saltēm p̄fſtare debeat, non culpam, & quod ſufficiat, ſi rem alienam æqve cuſtodiāt ut propriam, etiamsi ſit negligens homo. x) Ratio enim, quod non habeat utilitatem ex contraſtu jam expuncta eſt. Et mandatarius etiam nullam habet utilitatem, & tamen ſecundum opinionem communem exactiſſimam diligentiam p̄fſtare debet. Et imo iſpsum depoſitum anno in mandata cuſtodia conſiſtit? At qui cuſtodiāt p̄fſtat iſ ſecundum communem doctrinam plus p̄fſtat quam dolum & culpam latam. Solent etiam communiter docere, ſi procuratori meo committam cuſtodiāt rei meæ, qvōd initium contract⁹ hic jam fuerit mandatum, non actionem depositi, ſed mandati adverſus eum competere. y) Cur non pariter obligaretur ad ſimilem diligentiam cui ab initio mando rerum mea-rum cuſtodiāt?

§. XLIII. At, inquiunt, natura depoſiti in depoſitario non ita requiriſt ſingularem induſtriam uti mandatum: z) vel utalius explicat: mandatum per ſingularem noſtrum aetum expeditur, quemqve adeo juxta ſingula velut momenta in noſtro arbitrio dirigere eſt ſitum: in depoſito vero nemo me velit obligatum, ut ipſe continuo exſomnis apud rem depoſitam excubias agam. Quare ſufficeret, ſi eandem in locum commo- dum incluſerim, & nonniſi, quando peculiariſ alia ratio invaserit, impiciam, ſicut circa tes proprias facere ſole.

x) l. 1. §. 8. & 10. l. 20. l. 32. 47. depoſiti.

x) arg. l. §. 4. verſu. poſſum enim tibi mandare &c. ff. de pra- scriptis verbis.

z) Struv. Ex. 19. th. 44.

solemus, corruptionis periculo non obnoxias, quibus ad usus nostros non indigemus. <sup>a)</sup> Sed ad ista quidem varia posunt regeri, (1) varia esse negotia, quæ mandantur, adeoq; variam etiam circā ea esse industriam, neque adeo confundendam esse industriam negotiationis aut artificii cum industria custodiæ, (2) Varia genera etiam custodiæ esse pro diversitate rerum depositarum, adeoq; & hic industriam variare, alia industria opus esse in custodiā ædijum, alia in custodia servorum, alia in custodia rerum pretiosarum, alia in custodia rerum quæ non facile auferuntur, & quæ in area vel simili loco deponi solent; (3) Hinc universaliter verum non esse, quod dicitur, sufficere si rem depositam in locum commodum incluserim &c. (4) Et si sufficer &, tamen exinde non magis posse inferri, quod saitem dolus præstari debeat in illius rei custodiā, quam, si quis ex illa ratione interre velit, venditorem ejusmodi rei ante traditionem saltem ad dolum obligatum esse, cum & hic sufficiat, si vendor ejusmodi rem in locum commodum includat &c.

§. XLIV. Quare & jam aliis eruditioribus ista juris Romani dispositio à natura negotiorum & dispositio-  
ne Juris Gentium abire visa fuit. Cum enim regulari-  
ter in deposito aliquid amicitiae intercurrat, & nemo te-  
rè deponat, nisi apud amicum aut de cuius probitate bene  
judicet, in universum arbitratur Putendorffius <sup>b)</sup>, in  
quovis deposito custodiendo ad hibendam esse talem  
curam, qualem communiter diligentes homines circā  
pro-

<sup>a)</sup> Pufendorff. de J. N. & Gen. lib. 5. cap. 4. §. 7.

<sup>b)</sup> d. l.

proprias res solent adhibere. Imò & exactissimam quandoque curam esse adhibendam, non solum quando super eā expresse erat conventum, sed & ubi rei depositæ conditio id requirat, puta si sit pretiosissima, aut si ex ea omnes alicujus fortunæ dependeant. Istam tamen diligentiam non in eo consistere, ut quis noctu diuque eidem rei custos asfideat, sed ut eam loco, quem habet, munitissimo, recondat, & ubi minimè corrumpi potest. Unde etsi legibus amicitiae satisficerim, si res amici æque curem ac proprias; neque ut meas alterius rebus post habeam, si utræque paris sint pretiosi, quispiam salva fronte postulare queat; æquum tamen fuerit, ut quando utraqve servari nequeat, ego potius rem meam viliorē negligam & pretiosiorem depositam servem, v.g. incendio oborto quis non judicaverit potius servandam esse ciltam auro aut aliis pretiosis rebus, vel magni momenti instrumentis literisqve plenam, quam vilem suppellectilem? Ita tamen, ut deponens teneatur mihi restituere premium earum rerum, quæ mihi perierunt, dum ipsius res præ meis servatum eo, non secus atque alias impensas in depositam rem factas aut damna, quæ per illam accepi. Quod si tamen quis rem suam viliorē pretiosiori prætulerit, ubi de tali diligentia & cura non fuit conventum, amicitiae duntaxat & humanitatis jura eum violasse censeri, à præstandâ vero rei perditæ æstimatione immunem esse. Nam neque inde factum esse locupletiorem, & intermissa ista nudæ amicitiae & humanitatis officia ad refusionem detrimenti indè orti non obligare. Ita Pufendorffius. Sed in hac ultima limitatione dubium est, an recte dicatur nudæ

nudæ humanitaris officia violasse, qui tempore incendi rem pretiosiorem depositam postponit rei propriæ viliori. Nuda humanitatis officia dicuntur, ubi nulla adfuit conventio. Et, si rei vilioris propriæ estimatiō nem potest repetere ut impensas in salvandam rem vi liorem factas, etiam jure stricto eum ad rem propriam perdendam esse obligatum arbitrarer, uti obligatus est ad alias impensas rei servandæ necessarias facere,

§. XLV. Eadem quæ de deposito hactenus monuimus, multò magis procedunt adversus doctrinam communem de societate. Ait Gajus, & ex eo Tribonianus. c) Culpæ nomine quidem teneri socium sed sufficere talē diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit, de se queri, sibique hoc imputare debere. Quis non videt, rationem affer tionis esse parum convenientem, & petere sibi concedi, quod in quæstione est. Non semper negligentia ad scribi potest, si quis socium adsumat parūm dilig entem, cum homines possint mores suos dissimulare, & sæpè diligentiam ostentent, quos paupertas & infor tunium premit, mox negligentes evasuri, si benignior felicitatis aura afflaverit. Sed esto, esse negligentiam, fidem habere homini negligenti, non tamen propterea hujus negligentia & culpa esse definit, & incivile est, damnum culpa socii datum huic, qui causa damni longe propinquior est non imputare, imputare verò il li cuius negligentia causa damni dati vera non est, sed ut inscholis loqvuntur, saltem per accidens, aut sine qua

F

non,

c) Vide supra §. 24.

non, aut certè occasio remotissima. Et cur non idem inculcatur si venditor, mandatarius, creditor &c. negligenter versati fuerint, ita tamen ut in rebus suis, circa rem venditam commendatam, oppignoratam? Cur non & hic dicimus, eum qui parum diligentem venditorem mandatarium, creditorem, sibi elegit, de se queri, sibique hoc imputare debere?

**S. XLVI.** Ut momentum disceptationis fiat evidenter, fingamus casum. Tiri Caji socius cum in Belgio varias merces linteas & sericas, item pannos &c. in societatis gratiam emerit, vasa batyro vel oleo repleta in uno fasciculo cum ipsis mercibus jungit. Rumpuntur vasa butyracea & butyrum vel oleum pannos illos & merces reliquias planè corrumpit. Quis dubitet, tantam esse hanc negligentiam socii in jungendis mercibus ipsis diversissimi generis commissam, ut iure suo socius alter postuleret damni societati dati restitucionem. Jam finge rursus, in illo fasciculo ant cista etiam fuisse res socii proprias simulque per butyrum vel oleum maculatas ac perditas, an haec sola circumstantia decisionem mutabit, ut jam socius iste negligentia teneatur damnum in rebus societatis datum refarcire, quia videlicet talem diligentiam rebus ipsis communibus adhibuit, quamuis suis rebus adhibuit? Quis hic non palpat iniuriam decisionis?

**S. XLVII.** Porro quod commodatum attinet, et si nemo torte dubitet, quod commodatarius in rebus commodatis majorem diligentiam adhibere debeat, quam in rebus propriis; de eo tamen justa dubitandi ratio subest, an Ius Romanum recte absolverit commoda-

modatariū à periculo & casu, Malumus rem iterum proferre verbis Pufendorffii. *cc*) Illud, inquit, dubitatur, an commodatarius teneatur rei aestimationem aut aliam ejusdem generis restituere, si quidem ea perierit casu fortuito, & quem avertisse ipsius non erat. *d*) Ego tamen putaverim distingendum, an res omnino apud Dominum fuisse peritura, si vel maxime commodato non foret data, an verò minus. Priori casu cessat restitutio. Posteriori autem eam fieri omnino svadere videtur æquitas, cum alias mea mihi benignitas nimio constaret, si præter usum gratuitum re quoque ipsa mihi sit carendum, quam non eram perditurus, absque altero si fuisset. Neque adparet cur ipse magis, quam alter, infortunium præstare debeam, cum hic utique occasionem præbuerit, ut idem rem meam incurrere possit. In legibus *e*) rei commoda-tæ furto sublatæ aestimatio solvenda dicitur. Atqui nonnulla furta etiam citra culpam eorum, qui explantur, fiunt. Etsi ubi quis v. g. per incendium omnes res suas simul amiserit, & ad inopiam reductus fuerit, durum foret, commodati pretium reposcere. Et ubi casus isti sat frequenter solent intercurrere, uti naufragium navigantibus, præsumi potest, commodan-tem istas suo periculo esse voluisse. *f*) Multò magis autem

F 2

*cc*) Pufendorff. l. 5. c. 4. §. 6.*d*) *Vid. l. 1. §. de oblig. & act.**e*) *l. 21. & 22. commodati.*

*f*) Addit Pufendorffius: Et in hunc modum putaverim li-mitandam, l. 18. princ. l. 5. §. 4. & 7. ff. *Commodati*. Sicut nec probaverim l. 19. d. t. qui cum etiam non satis videtur conspirare l. 12. 1. ff. d. t. Cui observationi Pufendorffii poteris addere, quod

*et tradit Capa  
sed. 3. ce secula  
nimam incep  
tem invulvit  
ad ægata abea*

*Et nunc acti  
præstanda est. q  
se pl. nos. co*

autem tenebitur commodatarius, si, cum ex periculo v.g. incendii, naufragii, posset rem commodatam eripere, suam prætulit, utut pretiosiorem. Nam licet vitio verti ipsi nequeat, quod maluerit rem viliorum perire; tamen cum periculo ea possit eripi, eamque compendii sui causâ perire passus fuerit commodatarius, non est, quare commodans illud damnum sentiat. g)

§. XLVIII. Quod vero jure Justinianeo in precario dolus haec tenus præstetur, non culpa, b) id vereor, ne melioribus rationibus impugnari possit, cum nulla planè vel probabilis saltem ratio ex jure Gentium afferri possit, pro æquitate hujus doctrinæ stabiendi. Sanè enim is, qui precarium alteri concedit, nullam habet inde utilitatem, sed eam solam percipit is, qui precario habitat. Et cum adeò ratio naturalis fuisse debeat, ut semper in alienis rebus majorem diligentiam adhibeamus, quam in rebus propriis, nihil pro se allegare poterit is, cui res precario concessa est, cur damni dati restitutionem evitare debeat, si forte rem precario datum æquè negligenter custodiuit ut propriam. Adde quod, etsi ex Juris Romani subtilitate precarium à commodato differat, tamen illa differentia non sit ex Jure Gentium, & imò ipsum Jus Romanum negare nequit

---

sententiam Juliani recensitam in l. 19. *commodati*, diserte rejeicit, aut certe valde limitaverit cum aliis JCtis Ulpianus l. 41. locati. Confer, supra §. 21.

g) l.s. §. 4. ff. *commodati*. Vide quoque Exodi XXII. 13. 14, 15. d. l. 18. pr. ff. *commodati*. l. 1. §. 35. cod.

b) l. 8. §. 3. de *precario*.

nequit magnam similitudinem intercedere precario cum commodato. <sup>i)</sup>

§. XLIX. Sed audiamus rationem, quæ pro Juris Romani sententia affertur. Illud adnotatur; inquit Ulpianus <sup>l)</sup>, quod culpam non præstat is, qui precario rogavit, sed solum dolum præstat, quanquam is, qui commodatum suscepit, non tantum dolum, sed etiam culpam præstat. Nec immerito dolum solum præstat is, qui precariò rogavit, cum totum hoc ex liberalitate descendat ejus, qui precariò concessit, & satis sit, si dolus tantum præstetur. Verba multa, parum rationis. Invertenda potius ratio. Nam vel ideo quia precarium totum ex liberalitate ejus, qui concescit, descendit, id est, qui beneficium hoc ipso præstat, & nullam inde lentit utilitatem, nulla adest etiam ratio, cur beneficium hoc ipsi damnosum esse, & negligentia precario rem habentis ipsi imputari debat. Nam & in commodato totum negotium ex liberalitate commodato dantis descendit, & tamen commodatarius præter commodatum etiam culpam præstat.

§. L. At, inquiunt: <sup>m)</sup> Commodatum ab initio est liberalitatis, postea vero necessitatis <sup>x)</sup> precarium in omni tempore liberalitatis, id est, semper potest revocari. Sed respondeo, invertuntur & torquentur ostensâ hac differentiâ, quam nemo negat, verba Ul-

F 3

piani,

<sup>i)</sup> l. i. §. 3. eod.

<sup>l)</sup> d. l. 8. §. 3.

<sup>m)</sup> Vide glossam ad d. §. 3. lit. u.

<sup>x)</sup> Quā in rem allegatur lex in commodato 17. §. sicut a. 3. comm.

piani, qui non dixit precarium totum (i. e. intuitu durationis) esse liberalitatis, sed totum (i. e. ratione originis) ex liberalitate descendere. Deinde & ipsa illa differentia sic exposita nihil interfert. Esto, poterit precariorum concedens rem quandocunque repetere, quid inde? & cur ex hac circumstantia minorem curam debet adhibere precario habens, quam si ad certum usum concessa esset. Sufficit, quod res aliena sit, quam ex beneficio peries se habet. Nisi forte ut negligentiā imputare velis precario danti, quod rem precario concessam ab amico negligente non mox repetierit. Quod profecto durum esset, cum potius considerari debeat, beneficium esse, rem non statim revocasse, & si tanquam culpa id imputandum esset precario concedenti, res eodem momento repetenda esset, quo fuit concessa: at hoc paēto precarium plane foret frustraneum. <sup>y)</sup> Unde jam facile corruit expositio, quam alii <sup>z)</sup> suppeditant; quod scilicet precarium arogante nullo certo usui applicari possit, adeoque iniquum fuisset, pro tantillo & incerto usu exactissimæ diligentiae præstationem exigere. Nam ista iniquitas negatur, neque enim in lege Aquilia iniquum fuit habitum, præstare culpam levissimam, et si ibi plane nullus usus concessus adeste soleat.

§. LI. Ergo verius est, rationem, quod hic dolor solum exigatur, petendam esse ex ratione peculiari & privata Juris Prætorii. Nam quoties prætor solus in negotio, quod jus civile penitus neglexit, obligacionem

<sup>y)</sup> D. George Beyer. in post. ad Pandectas de precario n. 5.  
<sup>z)</sup> Ibid. n. 6.

nem introduxit, solum in eo dolum non culpam comprehendit. Cum enim lege civili nihil de eo cautum fuerit, sufficere putavit, si dolum saltem coerceret.<sup>a)</sup> Hinc & in precario, et si solius accipientis sit utilitas, tamen dolus tantum præstatur, quia nec ibi ulla juris civilis est actio.<sup>b)</sup>

§. LII. Sed & hæc tamen ratio novam opponendi occasionem suppeditat. Cur enim nulla de precario juris civilis actio, cum tamen precarium sit juris gentium <sup>c)</sup> & summam æquitatem habeat, ut eatenus quisque nostro utatur, quatenus ei tribuere velimus.<sup>d)</sup> Disertè Ulpianus, vel, ut quædam editiones glossatæ habent, Julianus afferit, cum quid precario rogatum sit, non solum interdicto Prætoris uti nos posse, sed etiam præscriptis verbis actione, quæ ex bona fide oritur.<sup>e)</sup> Illud certe Juliani est, dum alibi dicit. Cum quid precario rogatum est, non solum interdicto uti possumus, sed & incerti condictione, id est, præscriptis verbis.<sup>f)</sup>

§. LIII. Et profecto mira ratio ab iis Jctis afferatur, qui adstruunt, de precario non esse actionem civilem. Sic enim Paulus,<sup>g)</sup> interdictum de precario merito introductum est, quia nulla eo nomine juris civilis

a) Dn. Coccej. Collat. 2. §. 25. Idque diserte dicitur in l. 1. §. 1. Si mens fals. mod. his verbis: visum est satis coercent solum dolum ejus, qui civiliter obligatus non est.

b) l. 14. de precario. l. 14. §. 11. de furtis.

c) l. 1. §. 1. de precario.

d) l. 15. pr. eod.

e) l. 2. §. 2. eod.

f) l. 19. §. 2. eod.

g) l. 14. eod.

lis actio esset. Magis enim ad donationes & beneficij causam, quam ad negotii contracti spectat precarii conditio. Idem Ulpianus repetit. b) Contra precario rogantem nullam esse civilem actionem, quia simile donato precarium sit.

§. LIV. Dixi miram hanc esse rationem, et si videam, communiter JCTos nostros eam in hoc negotio securè & post Ulpianum & Paulum absque ulla dubitationis nota producere. Sed videamus. Initio non cohaeret illa assertio, quod ad donationes spectet, vel donato simile sit precarium, cum doctrina Ulpiani, quam alibi proponit: Distat à donatione precarium, eo quod, qui donat, sic dat, ne recipiat, at qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere i)

§. LV. Quod si respondeas, utique differentiam esse inter hæc duo, esse tamen etiam similitudinem, ideoque simile non esse extendendum ultra tertium, urgebo ulterius, ergo nullam esse consequiam in illa ratione. Precarium & donatio in eo conveniunt, quod utrumque ex liberalitate proveniat, differunt, quod qui precarium dat, illud velit recipere, quandounque libuerit; ergo inepte assentitur, jus civile nullam dedisse precario danti actionem, quod simile donato sit, cum in hoc tertio non sit simile, sed ideò dare debuisset potius, quia donanti non dari potest actio, cum rem repeteret nolit, at ubi negotii natura est, ut repe-

b) d. l. 14, §. 11. de furtis.

i) l. 1. §. 2. de precario.

repetatur, quomodo hic jus civile in deneganda actio-  
ne potest dici ad donationem respexisse?

§. LVI. Et profecto vix imaginari mihi possem, JCTos ita stupidos fuisse, ut non animad verterint, ratio-  
nem hanc potius invertendam esse, quam ut aliquid  
stringat, nisi & ratio & experientia perpetua doceant,  
quid valeat præjudicium seftæ & autoritatis. Inter-  
im tamen illud omittendum non est, antè Jus Justinianeum illam sententiam magis receptam fuisse, quod  
de precario etiam civilis actio detur. Sic enim in fra-  
gmento Pauli legitur.<sup>1)</sup> Interdicti actio proponitur ex  
eo, ut quis, quod precario habet, restituat. Nam &  
civilis actio hujus rei, sicut comodati, competit eo  
vel maximè, quod ex beneficio suo unusquisque in-  
juriam pati non debet. Quod planè convenit cum do-  
ctrina Juris Justinianei, <sup>m)</sup> Hoc interdictum natura-  
lem in se habet æquitatem. Est enim natura æquum,  
tamdiu te liberalitate mea uti, quamdiu ego velim, &  
ut possim revocare cum mutavero voluntatem. Ita-  
que etiam actione præscriptis verbis uti possumus.

1) Recept. Sentent. lib. 5. tit. 6. u. 10.

<sup>m)</sup> l. 2. §. 1. de precario.

III in vigente  
Jus. I. an. 1  
1) non a legito  
rogata  
2) dictum quod de  
Cœ. Sabuerit  
rel. Edict. pto  
d. 1. 14. J. 6. 1.

ad 3  
30 pre

## CAPUT II.

NULLUM ESSE AUT FUISSE  
USUM PRACTICUM HUJUS DOCTRINÆ DIFFICILIS.

G

SUM-

## SUMMARIA.

Communis persuasio, quod doctrina de gradibus culparum in contractibus usum habeat in praxi. 1.) cum tamen nunquam habuerit. 2.) JCTorum Romanorum scripta alia Theoretica, alia Practica, & horum differentia. 3.) Peccavit Tribonianus, quod multa ex scriptis Theoreticis in corpus iuris retulerit nullum usum habentia in Praxi. 4.) Regulae subtiles sicut sunt obscure, nec perspicue applicari possunt ad negotia civilia. 5.) Unde non mirandum, quod regule JCTorum de gradibus culparum relatae in corpore iuris nullum habuerint usum in praxi. 6.) Neque habere potuerunt, quia subtile, cum regulariter subtilia sunt inutilia; 7) quia factae sunt de negotiis non finitis; 8.) quia plurimas exceptiones & limitationes habent; 9.) quia dissensiones JCTorum ius in certum reddiderunt; 10) quia vagi nimis & variantes fuerer conceptus diligentie & negligencie; 11.) quod homines in agnoscendo aliorum navis lynxes, in propriis talpe sunt; 12) quia amor & odium personarum, eorum culpas modò minuit modò auget. 13.) ac quia impariales etiam aliorum diligentiam secundum diligentiam propriam examinant. 14.) Ob has causas nec Iure Justinianeo hec doctrina usum habere potuit. 15.) Germani subtilitates de gradibus culparum ignorarunt, ac unam culpam agnoverunt. 16.) Voluerunt in omnibus contractibus res alienas magis custodiendas esse quam proprias. 17.) Voluerunt in commodato rent commodatam periculo esse commodatarii. 18.) Neque adeo doctrinam iuris Romani de gradibus culparum in contractibus unquam in foro reeiperunt. 19.) Usus doctrinae alias erroneas de instituenda actione legis Aquilia, si deficiat actio ex contractu ad illustrandam sententiam nostram. 20.) Usus totius dissertationis.

§. I.

**M**aghumi solatum studiosis juris est, dum communiter a scriptoribus systematicis ad Titulos Pandectarum de Jurisdictione & Pactis adnotata-

notatum vident, difficillimas istas Juris Romani doctrinas in foris Germaniæ nullum habere vel exiguum usum. At quod difficillimam pariter de gradibus culparum hactenus monstratam doctrinam attinet, non observavi, vel Doctores vel Pragmaticos inculcare, quod ejus doctrinæ exiguis aut nullus sit usus, quin potius ubique indicia apparent, haberi hanc doctrinam pro tali, quæ & in foris Italiæ olim magnum habuerit usum, & hodienum etiam in foris Germaniæ in viride floreat observantia.

§. II. Nobis vero cum planè contrarium persuasum sit, ostendendum erit, doctrinas hactenus memoratas de gradibus culparum earumque variatione in doctrinâ de contractibus nec in foris Italiæ unquam magnum usum habere potuisse, tantum abesse, ut tempore Justiniani usum habuerit; neque, si vel maximè habuissent, eam doctrinam convenire principiis iuris Germanici antè receptum Jus Justinianeum, neque etiam post illud receptum, JCTorum Romanorum hactenus memoratas subtilitates de gradibus culparum in foris Germaniæ ad definiendas lites esse introductas.

§. III. Quod prius attinet, ante omnia observandum est, quod veterum JCTorum, ex quibus Pandectæ sunt compilatae, duplicita fuerint scripta, alia theoreтика, alia Practica: Theoretica, ut commentarios ad Edictum Prætoris, ad Sabinum & similium, Practica, ut Responforum, Quæstionum, Digestorum, & similium. Utique vero in his respondebant de casibus, qui in ipsis rerum argumentis obtinebant, & ad eos tanquam ad conclusiones iura applicabant, ita in prioribus more

communi docentium principia doctrinarum exponentium magis in abstractionibus & universalibus considerandis occupati erant, ad quæ declaranda & illustranda dum exempla lectoribus suppeditare vellent, ea pro lubitu fingebant, non prout in foro quotidie occurrerent, sed prout ad declarationem abstractionum & principiorum ficerent. Ut ergo hoc intuitu dici solet, quod exemplorum non requiratur veritas, i.e. quod non consideretur, an ea facta sint, ita etiam non requiritur facilitas, sive an frequentius existere pro natura rerum possint & soleant. Imò saepe docentes ad ingenium legentium vel audientium exercendum fingere solent exempla, quæ probè sciunt, quod rarissime contingere soleant & vix possibilia sint. Tales sunt plerique casus, si non omnes, quos deprehendimus in controversiis oratorii Quintilianī & Senecæ. Tales etiam sunt plurimi casus, qui occurrunt in libris istis Theoreticis JCtorum Romanorum.

§. VI. Quemadmodum autem evidens est, non commendandum esse laborem ejus, qui in formandis vel legibus, vel etiam systemate juris quotidiani vellet colligere casus istos Senecæ & Quintiliani; ita paritas rationis ostendit, quam insinuiter peccaverint compilatores juris Justinianei, quod maximam partem Pandectarum potissimum repleverint excerptis casibus ejus modi ex istis JCtorum libris theoreticis. Certè de eo, quod semel aut bis sit, non fiunt leges. Igitur & casus, qui vix ac ne vix quidem existunt, in ipsis rerum argumentis, non sunt proponendi in institutionibus & compendiis juris quotidiani & practici.

§. V.

§. V. Neque adeo mirandum est, quod Jcti qui in interpretationibus suis & commentariis studebant laudi subtilitatis, non solum exempla proponerent vix dabilia, sed & eo ipso, dum hoc ficerent, in ipsis regulis & principiis proponendis non considerarent, at illa principia possent perspicue applicari ad negotia quotidie obvenientia, nec ne. Res perspicue & palpabiles non sunt subtile, & quo quis magis subtilitati studet, eo magis studet obscuritati. Eoqve frequenter ad idvitium impellitur, quo frequentior est communis error, quasi in obscuritate & subtilitate constat vera eruditio. Regnavit illud vitium ob hominum ambitionem omnibus seculis, & adhuc hodie regnat in omnibus facultatibus ac disciplinis, ut & doceantur plurima, & pro eruditioribus habeantur, quæ sunt & subtilissima & obscurissima.

§. VI. Præmittenda hæc fuerunt, ne quis statim in limine impingat, dum videt, à nobis assertum fuisse quod doctrina de culparum gradibus in contractibus Jure Romano nunquam usum Practicum habuerit aut habere potuerit, cum tamen hæc doctrina à præstantissimis Jctis Romanis, ex quorum scriptis Jus Justinianum fuit compilatum, roties & tanta cum cura legatur esse inculcata. Videlicet theoreticos egerunt, subtilitatibus, speculationibus operam dantes, quoties doctrinam de culparum præstatione per regulas expulerunt. Quoties autem ad casus praticos respondendum fuit, ipsi omissis illis regulis tanquam inutilibus aliter planè rem aggressi fuere, ut jam capite præcedente a) hujus rei quædam specimina exhibuimus.

§. VII. Quare jam eadem, quæ haec tenus differuimus, varia suppeditabunt argumenta, quibus evidenter probari possit, regulas JCtorum de contractuum variatione intuitu culparum nullum potuisse habere usum in foro. Et initio quidem eo ipso, quo major in illis regulis apparet subtilitas, eo minor quoque expectari potest usus in negotiis rerum civilium. Neque enim subtile speculations solum eo vitio laborant, ut sint obscuræ, sed & ut sint inutiles. Latitudinem & ut ita loquar, palpabilitatem habet, quicquid usu obvenit. Etsi subtilis circuli quadratura & proportio diametri ad punctum perduci nequeat mathematicum, utilissime tamen in praxi mechanica & sine omni difficultate ad punctum crassius physicum applicatur. In moralibus vero & multo magis in politicis etiam secundum commune proverbium momentum latitudinem aliquam & saeppe valde sensibilem habet. Idem dicendum erit de omnibus negotiis civilibus.

§. IIX. Ostendimus porro regulis certis non posse includi doctrinam de culparum gradibus ob infinitatem circumstantiarum. Quomodo ergo regulæ de impossibilibus rebus tentatæ possent usum genuinum habere in negotiis forensibus, ut in applicatione ad eadem illis, qui tuto fidere possit?

§. IX. Ipsæ vero regulæ à JCris propositæ dum plures limitationes & exceptiones admiserunt, adeoque rem in se obscuram magis intricatam reddiderunt, eo ipso ad usum practicum fuere ineptæ redditæ, uti parum aptæ sunt regulæ in operationibus mechanicis, quæ ipsæ sunt instabiles & variis mutationibus iisque subitanæ obnoxiae,

§. X.

§. X. Adde dissensiones JCtorum inter se supra expositas circa regulas ipsas & earum fundamenta, ac applicationem. Nam & hoc medio in foris Romanis jus maxime incertum fuit redditum, dum in causis similibus pro diversitate hypothesis & à JCtis fuerit diversimode responsum & à Judicibus, qui responsa JCtorum in pronunciando sequi tenebantur, diversimode pronunciatum.

§. XI. Imo, quid si omnia intuitu regularum de culparum gradibus in diversis contractibus diversimode absque contradictione fuissent, vaga tamen ac nimis fluxa ac varians diligentiae debitæ ac diligentiae & negligentiæ patrumfamilias conceptio, vel sola apta fuisset ad impediendum usum illarum regularum in praxi. Esto, omnes fuisse unanimes in deposito præstandum dolum faltem, in pignore culpam levem non levissimam, in commodato culpam levissimam quidem, sed non casum, necesse tamen fuit, in applicacione ad negotia existentia dissensum JCtorum & sententiarum ortum fuisse, ob affinitatem culpæ latæ cum gradu faltem inferiore diligentiae communis patrumfamilias, & ob affinitatem diligentis patrisfamilias in gradu superiore cum patrefamilias diligentissimo, item ob affinitatem culpæ levissimæ & casus.

§. XII. Ut taceam, eum dissensum exinde vel maxime promoveri, quod quilibet homo videat equidem defensus aliorum, at in propriis agnoscendis sit cœcus, nisi ope Philosophiae moralis ad agnitionem propriæ stultitiae pervenerit, quales tamen pauci sunt. Esto igitur, aliquos ex judicibus de culpa aliena sapere, paucissimi tamen vitiis communibus laborant. Ergo necesse

necessæ est alios de uno eodemque factō mitius sentire,  
alios gravius de eo judicare.

§. XIII. Quod si insuper affectus aut interesse aliquod, etiam valde subtile & occultum intercedat, dissensus ille adhuc multiplicabitur. Quos amamus, eorum lapsus excusamus, quos odio habemus, eorum nævos leviores extollimus. At verò, à quibus utilitatem speramus, amamus, à quibus non speramus, eos non amamus. Parum vero differt non amare & odire. Et quam rari sunt casus, ubi judices extra partes aut extra amorem & odium sunt positi.

§. XIV. Fac etiam judices plene impariales esse. Qui extra partes sunt, justissime judicant, si de aliis pronuncient, ut velint alios de suis factis judicare. Sed & hoc tamen propositum in præsenti materia occasionem præbebit dissensui infinito. Fatentur omnes diligentiam patrumfamilias non esse eandem, sed valde variare. Igitur necessæ est, ut paterfamilias minus diligens factum tertii pro culpa leviore habeat, quod diligentior, rem secundum suos mores examinans haberet pro culpa graviore & dolo proxima, & sic in cæteris.

§. XV. Jam cum hæ circumstantiæ firmiter & penè mathematicè demonstrent, distinctiones illas graduum in culpis & inde formatas regulas in contrariabus ante Justinianum nullum usum habere potuisse in foris Romanorum, facile etiam patet, tempore Justiniani etiam nullum habuisse usum; cum Justinianus in suo corpore Juris, ut capite primo monstratum, multos dissensus veterum Jctorum reliquerit,

aut  
aut

aut certe multas falsas aut dubias regulas & decisio-  
num rationes ex iisdem excerpserit, aut, si etiam hæc  
omnia non forent, sed nulla hic antinomia fuerit reli-  
cta, aut dubia decisio, vel regula proposita, non ta-  
men poruerit Justinianus naturam negotiorum & ho-  
minum mutare, atque sic efficere, ut omnes diligen-  
tia in negotiis alienis æquale ubivis facerent judicium.

§. XVI. Quare & Germani prisci, cordatissimi  
videlicet mortalium, aut certe cordatores Romanis,  
nunquam in quæstionibus de damnorum restituzione  
tales subtilitates inutiles amplexi sunt, sed simpliciter  
tradita Juris Gentium secuti docuerunt, damnum ab  
eo qvi id dedit, aut quin culpa est, sine divisione gra-  
duum culpæ, esse resarcendum, reliqua videlicet de  
culpæ examine relinquentes prudentiæ & conscientiæ  
judicum. Revera enim una culpa est, id non fecisse  
quod facere debuisset, aut id fecisse quod debuisset  
omittere, vel, ut Paulus JCtus dicit, *h*ic culpa est, quod,  
cum à diligente provideri poterit, non esset provisum.  
Quoies igitur in jure Germanico de restituendo dam-  
no in contractibus agitur, simpliciter culpæ, non cul-  
pæ latæ aut levis aut levissimæ mentio fit. c)

§. XVII. Porro supra d) diximus, quod distin-  
ctio Juris Romani, utrum quis alienas res ut suas cu-  
stodierit, an magis, nullo fundamento nitatur, sed jure  
Gentium in omnibus contractibus res alienæ magis

H

sint

b) I. 31. ad L. Aquilam.

c) Spec. Saxon. Landr. lib. 3. art. 5. verbis: Dass der Schaden  
ohne seine Schuld sey geschehen: item: Stirbt aber ein Pferd  
ohne jenes Schuld. Item: Spec. Svecic. Landr. cap. 243. (See. edit.  
Goldasti.) 3. verbis. stirbet das in seiner Gewalt ohne seine Schuld/  
item: cap. 245. verbis. Ob er sein also gehütet hat als er sollte. item.  
cap. 248. verbis: Hab ich sein gehütet als ich von recht solt.

sint custodiendæ quam propriæ. Eadem etiam fuit sententia Germanorum, eaqve disertè illis etiam temporibus, ubi jam magnam in Germania obtinuerat Jus Romanum autoritatem, fuit defensa & inculcata, tanquam doctrina in praxi receptissima, videlicet in speculo Svevico<sup>e</sup>) cujus compilator ramen multa alias impertinentia ex Jure Romano immiscere soiet. Igitur non solum major cura rebus alienis est adhibenda in contractu, ubi sola est utilitas habentis, ut in commodato<sup>f</sup>) sed & in contractu, ubi utriusque est utilitas, ut in locato<sup>g</sup>) imo etiam in deposito ubi nullatenus est depositarii utilitas. *b)* Imo, nisi me omnia fallunt, eadem fuit etiam sententia Imperatoris Constantini: *i)* dum pro regula ponit, quod suæ quidem rei quisqve sit moderator ac arbiter, & pleraqve negotia ex proprio animo faciat, aliena vero negotia exacto animo geri debeant, nec qvicquam in eorum administratione neglectum declinatum culpa beat esse vacuum.

*§. XVIII. Quin etiam, uti ex iisdem juris Generantium*

*d) c. 1. §. 41.*

*e) Landr. c. 249. Sprechen etlich Leut: verleuert ein Mann sein selbs Gut mit meinem Gut / er soll mir es nicht gelten das ist nicht. Einem jeglichen Mann ist gesetzt / daß er frembdes Gut has soll pflegen / denn sein selbst Gut zc.*

*f) d. c. 249.*

*g) ib. cap. 245. Leihet ein Mann den andern ein Pferd umb Lohn zc. wird es ihm verstohlen oder geraubt oder verbrennet es / oder stirbt es ob es Vieh ist / und hat er das Gut has in seiner Gut gehabt/denn sein selbst Gut / er gilt des Guts nit.*

*b) ib. cap. 243. verb. Wer den andern sein Gut empfiehlet uff sein Treu / und wird es ihm verstohlen oder geraubt oder verbrennet es / oder stirbt es ob es Vieh ist / und hat er das Gut has in seinem Gut gehabt/denn sein selbst Gut / er gilt des Guts nit.*

*i) l. 13. C. mandati. vide supra c. 1. §. 25.*

tium fontibus ostendimus, 1) commodatarium indistinctè non liberandum esse; à casu & periculo secus ac jus Romanum docet; ita etiam Jus Germanicum in hoc capite pro more consentit, rem commodatam commodatarii esse periculo jubens. 2) Sed volumus saltem id illustrationis gratia hic adducere, quod nempe jus patrium etiam in doctrina de casu præstanto non sequatur Jus Romanum. Nam alias hæc observatio priuariò ad thema præsens de gradibus culparum non pertinet.

§. XIX. Unde cave, ne à mutatione juris patrii hodiernâ in isto casu argumenteris etiam ad mutationem ejusdem in doctrina de gradibus culparum. Etsi enim fortè hodie ob nimium amorem juris Romani, secundum hujus sententiam commodatarius in praxi liberatur à præstatione periculi, 3) quoad præstationem culparum tamen Jus Romanum nusquam legitur in foro esse receptum, sed hic firmi adhuc stant mores patrii. Certe non potest ostendi horum abrogatio aut illius receptio. Imò vix in ipsis rerum argumentis occurrit inter partes de hac materia disceptatio, nec recordatur Dn. Præses, quod unquam in Facultate Juridica de gradibus culparum in contractibus præstanta controversia obvenerit.

§. XX. Et necesse est, ut ipsimet hoc fateantur, quamvis inviti, Pragmatici hodierni, qui consuluntur Advocatis, ut actio Le-

H 2

gis

1) d. cap. 1, §. 47.

2) Speculum Saxon. l. 3. art. 5. Was man dem Mann zugebrauchen leiset/ das soll er unverderbt wiederbringen/bem/der es ihm leste oder solles ihm gelten / nach seiten Würden. It: Glossa Germanica ad libri 3. art. 10. verbis. Stirbt ein Pferd: Ben diesen sollt du wissen/ wer ein Vieh oder ander Thier bey sich hat ic so es stirbt/ so wird es des ledig/ ic. es wäre ihn denn geliehen oder verfegt worden / denn also müste er es nach unsern Rechten ohne einige Rede wiedergeben/ oder nach seinen Werth gelten/ (aber nach denen Legibus holt man dieses anders) oder ob es durch sein Schuld stirbe oder verworlossen würde. Spec. Stev. c. 243. §. 2. Was man <sup>de piculo ex parte</sup> aber einen Mann leiset oder verfeget / das soll man ihm unverderbet wiederbringen/ gen oder gelten nach seinen Werth. Ist es aber ärger worden/ das bessere man ihm <sup>de piculo ex parte</sup> gera a. gloriarur tur, fortire.

3) Qua de re differuit Dn. Præses in dictatis publice Inquisitionibm juris Germanici lib. 2, 111, 2, de contractibus beneficis §. 59. seq.

*CODE USUPRACT. DOCT. DE CULPAR. PRÆST. IN CONTR.*

gis Aquiliæ instituatur, si culpa tali damnum datum sit, quæ non veniat præstanta ex natura illius contraëctus. Etsi enim supra o) ostenderimus eam doctrinam parum convenire cum iure Romano; Et si Dn. Præses integra dissertation p) ostenderit, actionem legis Aquiliæ nunquam moribus Germanorum fuisse receptam, tamen ad oculum pater, quod hoc consilio admisso in effectu, i. e. in praxi doctrina de gradibus culparum in contractibus nullum habeat usum. Nam moribus Germanorum non opus est nomen actionis in libello exprimere, poterunt his moribus dux actiones intuitu unius facti competentes cumulari. Igitur, si quis ab altero restitutionem damni in re dati, quam alter ex contractu penes se habuit, postulet, reus vero excipiat, damnum sic datum esse, ut ad custodiam rei ex natura contraëctus non fuerit obligatus; replicabit actor (secundum hypothesis illorum autorum,) reum tamen ex lege Aquilia ad restitutionem damni obligatum esse, adeoq; nunquam regulæ de gradibus culparum in foris Germaniæ proderunt. Neque novum est, ut Pragmatici hodierni ad ius patrium, etiam diversissima à Jure Romano disponsens, torqueant textus Juris Romani, quia videlicet ius patrium & ejus rationes ex communi privilegio ignoratur, & quia jam olim glossatores antiqui Juris Germanici ejusmodi corruptelis ignorantiam Juris patrii introduxerunt, ut dissertatione inaugurali de quasi emancipatione Germanorum sub præsidio Dn. Praefidis alio illustri exemplo declaratum fuit.

§. XXI. Igitur spero, ut hæc hæc tenus demonstrata in posterum considerantes Doctores & juris interpretes in Germania tempus omnium rerum pretiosissimum amplius non sint perdituri inculcatione frustranea istarum subtilitarum Juris Romani de gradibus culparum in contractibus. Quod si tamen hoc malum ita radicatum fortè fuerit, ut à docentibus nulla sit emendatio speranda, spes tamen erit, ut juvenes tanquam præjudicium nondum sic indurati, talia legentes, relicturi sint Doctores inutilia cum tanta diligentia & pertinacia docentes & operam sint daturi doctrinis utilioribus pariter ac jucundioribus.

o) Suprac. i § 28. 29.


p) In laude Legis Aquiliae &c.


AB: 152953



SB

Vd 17





B. C. D.  
 INAUGURALES,  
 De  
**RACTICO**  
 E DIFFICILLI-  
 ROMANI DE CUL-  
 RÆSTATIONE  
**TRACTIBUS,**  
 Quas  
 MAGNIFICENTISSIMO,  
 PRINCIPE AC DOMINO,  
**ICO WILHELMO,**  
 ELECTORATUS ET PRO-  
 M HEREDE &c. &c.  
 ADEMIA FRIDERICIANA,  
 PRÆSIDE  
**NO THOMASIO, JC TO,**  
 JURIDICÆ h.t. DECANO,  
**ICENTIA**  
 jure honores & Privilegia  
 ALIA rite capessendi  
 solenniter submitit  
**Gottlob Kreß / Advocat.**  
 eric, Misenensis,  
 unii Anno M DCC V.  
 H. L. Q. C.  
**RIS SALFELDIANIS.**